
EXERCITATIONES
GEOGRAPHICÆ
HYDROGRAPHICÆ, ET ANEMOGRAPHICÆ
DE NAUFRAGIO
DIVI PAULI APOSTOLI
EJUSQUE ADVENTU
IN INSULAM MELITAM ILLYRICAM
SIVE
MARE ADRIATICUM
SUIS FINIBUS RESTITUTUM,
AUCTORE
STEPHANO SCIUGLIAGA I. G
RAGUSINO.

Di Patrii servate domum, servate Nepotem
Vestrum hoc augurium, vestroque in Numine Troja est. Virg.



VENETIIS;
APUD FRANCISCUM PITTERI;
MDCCLVII.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ADMODUM REUERENDO PATRI

DIONISIO REMEDELLI

ORDINIS PRÆDICATORUM

Sacræ Theologiæ Magiſtro, & in Bononienſis Athenæo Publico Græcæ Linguæ Lectori.

STEPHANUS SCIUGLIAGA I. G.

χαίρειν καὶ εὐπράττειν.



Elitæ noſtræ Illyricæ obſcuritas, multis alias doctiſſimis viris cauſſa fuit, ut naufragium Divi Pauli Apoſtoli, Melitæ Africanæ adjudicarent. Illa enim Ingens Gloria Inſula, quæ laudem omnem ſuperat, quamque D. O. M. ut Fidei Propugnaculum, & ſelectiſſimæ totius orbis Nobilitatis Florem, ſemper Incolumen ſervet, lateque Victricibus ar-

mis Triumphantem ad Christiani Nominis Gloriam tueatur; Illa, inquam, nacta est Scriptores uberrimos, qui in obsequium Equitum Joannitarum omni Geographico, Hydrographico, & Anemographico themate neglecto, in ejus laudes animum omnem contulerunt.

Nos vero, cum Scriptores nullos haberemus qui Melitæ nostræ caussam dicerent, inter angustos, domesticos tamen parietes nacti sumus Eruditissimum Virum D. Ignatium Georgi Benedictinum, e Congregatione Melitensi Ragusina, qui Inspectionibus Anticritis Divum Paulum Apostolum in Mari, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragum, & Melitæ nostræ Illyricæ post naufragium hospitem, validissimis argumentis evicit.

Illo supremis fatis functo, F. Dominicus Thomas Valfredi, Te Præside, publice in Ecclesia S. Dominici Bononiæ, eamdem Melitæ nostræ caussam, selectis capitibus ad Sacram veteremque Geographiam, Hydrographiam, atque Anemographiam spectantibus, Græcorum præsertim Scriptorum testimoniis disputavit.

Ea tamen est aurei Rami illius, a Virgilio memorati, virtus, ut uno avulso alter non deficiat. Exinde factum est, ut Pater Rupertus Carmelita a S. Gaspare; D. Co: Joann. Ant. Ciantar, & recentioribus hisce annis P. Carolus Joseph a S. Floriano, Ordinis S. Fran-

cisci

ciſci Reformatorum, *Georgio noſtro dira cecinerint*, *collectiſque in acie jam expugnata*, *fractis & obtuſis gladiis pro Melita Africana decertaverint*.

Illorum itaque cavillationibus, *commentis atque jurgiis*, *quibus mortuo leoni inſultant*, *excitus*, *exercitationes has Geographicas*, *Hydrographicas*, *& Anemographicas exarare aggreſſus ſum*, *ut*, *Te gravioribus curis impedito*, *ſi optimus deficit*, *aliquis tamen non deeſſet*, de gente noſtra, & de Fratribus noſtris *Scriptor*, *qui pro Melita noſtra cauſſam diceret*, *& mutilatos falſoſque Philo-Maltenſium textus*, *quibus toto orbi impune illudunt*, *detegeret*.

Ut aliquid novi afferrem, *neque in trita area crambem recoctam exiberem ; quoad ingenii mei anguſtiæ patiuntur ; omnem curam operamque impendi*. *Argumentis uſus ſum iis*, *quæ recta ratiocinatione potius*, *quam uberrima & redundanti eruditione fulciri videbantur* : *brevitati vero conſulens*, *ea quæ potiſſimum me dicere oportebat*, *haud vero ea quæ dici poterant*, *complexus ſum*: *Limata politaque eruditiſſimorum hominum judicia*, *non ſine cauſſa reformido*; *fateor tamen*, *me rebus potius quam verbis ſtuduiſſe*.

Si iam diu e vivis ſublatus non fuiſſet Doctiſſimus Georgius, *opuſculum hoc meum*, *ejus judicio ejuſque ocu-*

lis subjecissem: ille enim primus à nostris in hac arena desudavit. Ea in quibus ab ipso dissentire videor, vel æquo animu tulisset, vel acris ingenii acumine emendata, & correcta limasset.

Tuum itaque nunc est, Pater Admodum Reverende, qui adhuc superstes es, & ut diu superstes sis cupio, Tuum inquam est, hasce meas qualescumque Exercitationes castigare & sententiam tuam, si aliquando contigerit, interponere. Cum enim possis, cumque Totus Prædicatorum Ordo, locusque quem nunc tenes, Te posse testentur, ut mihi morem gerere, & officio curaque tua velis adesse etiam atque etiam oro. Humanitati, & Benevolentiæ Tuæ me commendo, & ut sibi persuasum facias maxime exopto, me haud dumtaxat communis Patriæ, & amicitiæ vinculo Tibi esse addictum, sed ardenti amore virtutis, & Doctrinæ Tuæ, mirum in modum ad Te diligendum inflammatum esse. Vale.

EXER-

EXERCITATIONES
GEOGRAPHICÆ, HYDROGRAPHICÆ, & ANEMOGRAPHICÆ
DE NAUFRAGIO
DIVI PAULI APOSTOLI
EJUSQUE ADVENTU
IN INSULAM MELITAM ILLYRICAM
SIVE
MARE ADRIATICUM
SUIS FINIBUS RESTITUTUM.

EXERCITATIO I.

§. I.



NUS (1) ex noſtris, aream hanc de Divo Paulo naufrago, terere aggreſſus, D. Ignatius Georgi Benedictinus, e Congregatione Melitenſi Raguſina; in illis ſuis Inſpectionibus anticriticis anno MDCCXXX Venetiis editis, vehementer queſtus eſt de Claudio (2) Ptolomæo, qui ſæculo ſecundo, ab orbe reparato, Geographum agens; primus omnium Maris Adriatici nomen, ultra (3) Ceraunia juga, & (4) Japygiam acram prolatavit.

(1) *Ante Georgium*, in hac arena deſudavit Beroaldus, cujus tum auctoritatem, tum ſententiam a Georgio prætermiſſam, miratus eſt Co: Joann: Antonius Ciantar in Præfatione ad Diſſertationes apologeticas anno MCCXXXVIII. Venetiis editas; idque a Georgio exconſulto factum ſuſpicatus eſt, ut & nova, & nove dixiſſe videretur.

(2) Floruit ann. CXL. Imperante M. Aurelio, ut habemus ex Suida.

(3) Ceraunia quæ & Acroceraunia, (ἀπὸ τῶν Κεραυνῶν: i.e. *fulminibus*, quibus ſæpe impetuntur) hodie *Monti della Cimarra*, ad confinia Epiri juxta Apolloniam (*Vallona*) ad diſcrimen Maris Jonii ſive Siculi, & Sinus Jonii ſive Adriatici.

(4) *Capo di S. Maria di Leuca*, vel *Capo d' Otranto*: illa quidem Apuliæ regio, quæ & Salentina vocabatur, dicta eſt Japygia, a *Japyge*, ut

 ajunt,

ajunt, Dædali filio. *Acra* vero *Japygia*, idem sonat ac *promontorium Japygium*, dicitur vero *acra* ab ἄκρος: i. e. *summus*, *extremus*, unde ἄκρα i. e. *summitas*, *extremitas*.

§. II.

DOcent Acta Apostolorum, Divum Paulum jactatum fuisse in (1) Adria, & ab Insula quadam, quæ vocabatur (2) Melita, fuisse exceptum.

(1) *Navigantibus nobis in Adria*: Vulgata. *Cum erraremus, & ferreremur in adriaticum Mare*: Syriaca. διαφερομένων ἡμῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ: Græca. *Jactatis nobis huc & illuc in Adria* Græca eadem ad verbum translata. Cap. XXVII. Vers. XXVII.

(2) *Et eum evasissemus, tunc cognovimus, quia insula Melita vocabatur*: Vulgata. Καὶ διασωθέντες τότε ἐπέγνωσαν ὅτι Μελίτη ἡ νῆσος καλεῖται Græca. *Et servati tunc, cognoverunt quia Insula Melite vocabatur*: Græca eadem ad verbum translata Cap. XXVIII. Vers. I.

§. III.

EX ὁμωνυμίᾳ (1) Melitæ Africanæ, & Illyricæ exorta est inter eruditos contentio, qua quisque pro viribus ingenii, D. Paulum naufragum ab illa, vel ab hac Melita exceptum fuisse affirmavit.

(1) Multi ex Philomaltensibus, nimio quidem in Afro-Melitam amore & obsequio, ubique Melitæ nomen, huic africanæ Insulæ tribuunt, & urbes Cappadociæ, Armeniæ, & Africæ, hoc nomine memoratas, cum Afromelita confundunt. Multi vero alias docti viri, in Afro-Melitam utpote celebriorem D. Paulum naufragum duxerunt, & nostris hisce temporibus ducunt. Neminem ex illis nominamus: at quicumque ii sint, si inter vivos versantur, ignoscant; sin vero excesserunt, ipsorum manes patiantur, nos ab illis dissentire. Ipsi enim graviori rerum pondere quodammodo obruti, in Adriæ disquisitione, neque versari, neque elaborare dignati sunt; & Melitæ nostræ Illyricæ obscuritatem contemnentes celebriorem illam Africanam exornare potius, quam Geographico, & hydrographico themati studere maluerunt. Summorum virorum auctoritas, magni quidem nobis facienda est, at illud αὐτὸς ἔφα, neque causæ nostræ, neque tempori accomodari potest. Quæstio omnis Geographica est. Argumenta itaque a Geographis, haud vero ab aliquo Interpretum, vel ab aliquo Ecclesiasticæ Historiæ Scriptore sunt petenda. In ipsa interpretatione atque historia, quod Geographicum est, Geographica ratione constare debet. Scriptores Galli, fermè omnes, *Melitam* reddunt *Malthe*. Angli accuratiores, nomen Melite vel in Anglicana versione retinent. Nostræ Melitæ obscuritas, hac nostra ætate, doctissimum *Chamberium*

berium in tenebras egit; ille enim *Maurum Orbinum* Benedictinum Abbatem e Congregatione Melitensi (quę Ragusina est) memorans, quasi ex Melita africana esset, vocat *Abboth of Malthe*. Quid inde? Chamberii ne auctoritate, quæ summa est, Afromelitenses contra veritatis, & naturæ ipsius vim, nobis Orbinum rapient, ut D. Paulum naufragum rapere conantur? Ea tamen est aliquorum hominum infirmitas ut tricis, & vanis litigiis indulgere malint, genuinam vero, ac litteralem quæstionis ansam, tergiversandi gratia, dimittere. Cum enim Sacer Historiographus Divus Lucas, Melitam a qua excepti sunt, luculenter designaram & in Adria positam exhibuerir; quisnam tergiversationibus locus supersit, haud facile dijudicari potest.

§. IV.

Georgius (1) noster aspere criminatur Claudium Ptolemæum, quem hisce tergiversationibus occasionem præbuisse asserit; Philomaltenses vero, perperam Ptolemæum explicant: ita ut Geographus iste, neque a Georgio nostro diligenter perpensus, neque a Philomaltensibus rite explicatus, quum in neminem peccaverit, ab utraque parte torqueatur. Quæstionis centrum est Adria. Ea itaque ex duabus Melitis, quæ in Adria est, Divum Paulum e naufragio sospitem excepit.

(1) Ex eadem ratione contrariorum; ut ajunt Philosophi; tum Georgius noster, tum Philomaltenses, eodem pede claudicant; diligenter enim Ptolemæo perpenso, & explicato, Afro-Melitam inter Africæ Insulas, & in mari Afro positam, edifcere potuissent. Nusquam Ptolemęus Afromelitam in Adria collocavit, vel mare Adriaticum cum pelago Afro confudit, vel Adriam ad Meridiem Siciliæ prolatavit. Melitam nostram Illyricam Philomaltenses ipsi, in Adria agnoscunt, confitentur, concedunt; Afromeliram vero per inductiones, easque falsas, Adriæ adscribunt. Quænam iraque Adriatica-Melita dicenda est? Ea neque commentis, fabulis, & cavillationibus fulcitur, an hæc nostra, quæ Geographorum auctoritate, quæ ipso adversariorium consensu in Adria sita fuit, & usque in hodiernum diem Adriatici Maris Insula vocatur? Nos Adriæ nostri, primam originem, nos etymon, nos ejus fines ex ipsa, Historicorum auctoritate, ex ipso Geographorum testimonio, elicimus, nos Adriam Domi, intra Domestica littora, ut olim habuimus, nunc quoque tenemus; Adriæ spiritu vivimus; Adriæ fructibus marinis, & vescimur, & ditamur. At quid Philomaltenses ad hæc nostra possessorii juris argumenta afferunt? Claudij Ptolemæi auctoritatem, quæ & erronea est, & contra ipsos est: Interpretum testimonia, quæ in prima peccant Geographiæ elementa: Ecclesiasticæ historiæ Scriptorum verba,

verba, quæ quidem cum Actis Apostolorum collata, naufragium Divi Pauli testantur in Adria; at Melitam Africanam in Adria illis temporibus sitam fuisse haud probant; neque *Calmetus*, neque *de Flueri*, neque *Mamachius* licet doctissimus, tanti sunt, ut privata ipsorum auctoritas, publica Geographiæ veteris jura evertat..

§. V.

CLaudius (1) Ptolemæus Melitam, quam *Malta* vocant, in Africa collocat, & pelago Afro circumlutam luculenter designat; Melitam vero nostram Illyricam, quæ nobis *Mliet*, Italis *Meleda* est, in ipso medio Adriæ gremio describit.. Quanam itaque de caussa vel Georgius noster Ptolemæo, licet erranti, dira cecinerit, vel Philomaltenses Ptolemæum ab ipsis stare prædicent, neque dijudicare, neque dicere, aut conjectare possumus.. Georgio Adriæ nomen Hydrographicæ dimensionis circino perstringenti, doluit fortasse, Ptolemæum in hydrographicis errasse, licet illius error, Adriam tantummodo ad orientaliorem Siciliæ partem prolataverit. Quæ quidem Ptolemæi hallucinatio nihil caussæ nostræ obstat; Melita enim Africana ad Meridiem Siciliæ jacet; cujus meridionalem oram pelago Afro circumlutam apertissime liquet ex ipso Ptolemæi testimonio. Maxime itaque miramur Philomaltenses adeo firmæ frontis esse, ut favere illis afferant Ptolemæum, qui Melitam Africanam, & in Africa collocat, & statuit in medio maris Africani..

(1) Inspicientibus lib. 2. cap. 20. Tab. 5. Ptolemæi facile constabit; Melitam nostram Illyricam in medio Adriæ esse. Idem vero Ptolemæus docuit Lib. 8. *Tabula Septima Europæ continet Sardiniam, & Siciliam, insulas..... Circumscribitur autem Tabula ab omni parte pelago.*

Ab ortu Adriatico
A Meridie Afro.
Ab Occasu Sardoo,
A Septentrionibus Ligustico, & Tyrrheno.

Et lib. 3. cap. 4. *Sicilia ambitur ab occasu, & Septentrionibus mari Tyrrheno, a Meridie Afro, ab Oriente Adriatico pelago.*

Et lib. 8. *Secunda Africæ tabula continet Africam, & Insulas quæ circum*

circum ipsam sunt. Terminatur autem Tabula ab Oriente Cyrenaica, a Septentrionibus pelago Afro.

Et lib. 4. cap. 3. *Pelagiæ vero Insulæ Africæ hæ sunt.*

Cossyra Insula & Civitas

Glauconis Insula, & *Civitas*

MELITE Insula in qua Civitas Melite.

Quodcumque ex his Ptolemæicis testimoniis eligant Philomaltenses, & si adeo cordati sunt, ex ipso Ptolemæi errore, argumentum aliquod confingant, quo Adriam ad Melitam Africanam possint perducere: At qui facient, contra ipsius Ptolemæi sententiam?

Si enim Africa alluitur mari Africo, & si Afro-Melita est in Africa, proculdubio est in mari Africo.

Si Sicilia a Meridie circumluitur pelago Afro, & si Afro-Melita respectu Siciliæ haud dumtaxat Meridionalis est, verum etiam respectu Promontorii Pachini ad Africum recedit, proculdubio est in mari Africo. Si Ptolemæus ex errore Adriam ad Orientem Siciliæ perduxit, nusquam Afro-Melita, quæ Meridionalis est, vel ex ipso Ptolemæi errore, in Adria dici potest.

At si Ptolemæus qui centenis ferme annis post Divum Lucam scripsit, Melitam Africanam in pelago Afro posuit; quinam Divus Lucas eam in Adria nominasse censendus est? Si Sacer historiographus ipsum Ptolemæi errorem de Adria, e specula quadam prævidisset, nusquam vel ipsius errorem amplexus, Melitam Africanam in Adria potuisset collocare, quomodo dicendum erit, illum errasse cum non errantibus, qui errare non potuisset vel cum Ptolemæo errante? Si Divum Lucam sui temporis Poetas Latinos consuluisse dicimus; nonne in ipso Æneæ cursu cum Creta discedens tempestateque jactus, & jactatus, Peloponnesiacam, & Epiroticam oram, Italiæ frontem, & Siciliæ Orientales & Meridionales plagas præterlegit, ex Lib. III. Æneid: Virgilianæ ediscere potuisset.

Vers. 210. . . . . . . *Strophades Grajo stant nomine dictæ.*
Insulæ Jonio in magno.

Vers. 384. *Ante &* Trinacria *lentandus remus in unda.*
Et salis Ausonii *lustrandum navibus æquor.*

Vers. 694. . . . . *Qui nunc.*
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.

Et Lib. I. Vers. 599. . . . . . . *Coram quem quæritis adsum*
Trojus Æneas Libycis *ereptus ab undis.*

In illo itaque mari, qui inter Siciliam, frontem Italiæ, & Peloponnesum jacet, nunquam Adriam Divus Lucas nominare potuisset, qui a *Virglio* Jonium Magnum, Mare Trinacrium sive Siculum, & Mare Ausonium, eo locorum esse accepisset, neque tractum illum æquoris, in quo Æneas naufragium passus est, alio nisi Libyco nomine indigitasset.

Nasonis vero de Melita Africana topicum testimonium sequi volens, nunquam illam in Adria, sed in Libyco mari sitam esse edidicisset.

Fertilis est Melite *sterili vicina Cossyra.*

Insula

Insula quam Lybici *verberat unda freti.*

Sic enim *Ovidius* cecinit Lib. III. Fast. Quod si Lib. IV. scripsit: *Adriacumque* patens late, nemo sanæ mentis Scriptor, ut Philomaltenses contendunt τὸ *late patens*, in longitudinem expandi intelliget; clamant enim ipsa Latinæ linguæ exempla, quæ de latitudine intelligi volunt. Sic *Virgilius* scripsit.

Noctes atque dies patet *Atri Janua Ditis.*

Sic *Pomponius Mela* Ovidianum textum luce perfundere videtur. *Deinde Ceraunii montes: ab iis flexus in Adriam. Hoc mare magno recessu littorum acceptum, & vaste quidem* in latitudinem patens.

In mari itaque Libyco Afro-Melitam esse, semperque fuisse nemo inficiari potest. Marium nomen in partes sumtum a Virgilio accurate describitur; ipsa vero Afromelitæ topica positio, ab Ovidio in mari Libyco designatur.

Sed dimisso Ptolemæo, dimissisque Poetis, Strabonem Geographorum Dictatorem sequamur, qui Græce scribens Divo Lucæ Græce scribenti, facem in Geographicis prætulisse censendus est.

Sic Strabo Lib. 2. *Quod ante Syrtes, & Cyrenaicam est Mare, id Libycum vocatur, & in Ægyptium pelagus desinit.*

Lib. eodem. *Quidquid hujus maris est ad Africam, Africum seu Libycum mare dicitur.*

Ibid. *Italiam in Peninsulam redigunt mare Tyrrhenum a Ligustico incipiens & Mare Ausonium, & Adria.*

Lib. 10. *Creta alluitur a Septentrionibus mari Ægeo, atque Cretico, a meridie Libyco.*

Lib. 17. In Descriptione Africæ, Militem enumerat, quam alibi inter Siciliam, & Africam memoraverat.

Lib. 7. *A Sunio ad Peloponnesum usque Myrtoum est, & Creticum mare, & Africum cum finubus usque ad Siculum pelagus, quod quidem & Ambracium, & Corinthiacum, & Crisaceum implet.* At maris Siculi fines Strabo lib. 2. describens, a faucibus Adriæ nostri hodierni, usque ad Promontorium Pachinum, & inde orientem versus producit, & nusquam Divo Lucæ datum est, vel in Strabone, vel in aliis ejus temporis ætatisque Geographis, extra hodiernas fauces, nomen Adriæ invenire. Quod itaque *Creticum*, *Lybicum*, & *Siculum*, universis illius ætatis Scriptoribus fuit, quomodo Divo Lucæ Adria factum sit, doceant nos Philomaltenses; sed doceant aliqua auctoritate confisi, neque nos torqueant tot voluminum mole, verbis, hypotesibus, inductionibus, & falso suppositis argumentis decertantes. Nos Adriam tum Divi Lucæ ætate, tum hac nostra Domi habuimus, & habemus; illi vero ex apogæo aliquo depromant, vel Genethlia, vel Nænias Adriæ illius fabulosi quem jactant; ut vel ejus ortu gaudere, vel illius funera lamentari possimus.

Ptolemæi Geographia, atque Hydrographia, nihil obstant Melitæ nostræ Illyricæ, quam & in Adria sitam esse docent, & ipsi Philomaltenses in hac re omni ex parte consentiunt. At hæc eadem Ptolemæi sententia Melitam Africanam ab Adria exclusam pelago Afro adscribit;

bit; neque sanæ mentis Scriptor auderet Adriaticum mare ad Meridionalem Siciliæ partem, & quinquagena mill. pass. Africam versus proferre, nisi eadem lege inversos Orbis cardines reddere liceret. Ptolemæus ex confusione juris, & nominis (ut compertum faciemus) Adriam ad orientaliorem partem Siciliæ prolatavit, at quasi Philomaltensium tergiversationes prævidisset, semel & iterum Adriaticum pelagus si ad Orientem Siciliæ prolatat, ad Meridiem nunquam protrhait, imo topice illam oram & Africanam Melitam, pelago Afro, Geographos, Historicos, & Poetas veteres imitatus, adscribit: adeo vero clara est in Ptolemæo Africanæ Melitæ topica positio, ut cœcutire in meridie videatur is, qui Afro-Melitam in Adria contendit. Nodus quippe iste Ptolemæicus nobis solvendus erat; omnes enim Philomaltenses Ptolemæum advocant; nemo tamen ejus textum affert, vel explicat. Ptolemæus erravit, at ipsius error nihil nobis obstat, nihil juvat Philomaltenses, nisi fortassis Afro-Melitam ad orientaliorem Siciliæ partem velint perducere.

§. VI.

OMnes quidem, sive veteres sive mediæ ætatis, sive nostrorum temporum Scriptores, qui hujus Terraquei Globi partes, vel metiri, vel enumerare, vel describere sunt aggressi, universos Maris tractus, unum mare esse docuerunt; neque fossis aut mœnibus aquas ab aquis esse divisas, sed Mare (1) Adriaticum dici ab Adria, Siculum a Sicilia, & sic de singulis; ut quisque noscere possit, quonam terrarum sit, tum a Marium Terrarumque denominatione, cum a dimensione latitudinis, & quoad fieri potest longitudinis gradibus definita.

(1) Adriatici Maris denominationem *Titus Livius* Dec. 1. lib. 5. apertissimis verbis designat, *Thuscorum ante Romanum Imperium late terra marique opes patuere, mari Supero Inferoque, quibus Italia Insulæ modo cingitur, quantum potuerint nomina sunt argumento, quod alterum Thuscum, communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum Mare ab Adria Thuscorum colonia vocavere Italicæ gentes: Græci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum vocant*, Strabo lib. 5. & lib. 7. Theopompo consentit, scribenti. *Adriam ferunt illustrem fuisse urbem, unde & sinui Adriatico nomen exigua mutatione Litterarum factum sit.*
Etymon itaque, origine inque Adriæ, tum ex *Livio* Latino Scriptore, tum ex *Strabone* Græco Geographo, apertissimis verbis designavimus; sed ut ex notionibus illius ætatis, notiones Divi Lucæ assequi possimus, pauca nobis præmittenda esse judicamus.

Ne

Ne aliquis forte miretur, intra Ceraunias Japygiasque fauces duo diversi nominis maria fuisse, pro viribus nostris rem enucleatam præstabimus, caussamque, qua aliquando in unum Adriæ nomen coaluerint exponemus.

Quod nunc dicitur *Chulphus Venetus*, olim *sinus Adriaticus*; Græcis vero *sinus Jonius*; ante Trojanum bellum, *Mare Illyricum* vocabatur; ut docent nos *Poetæ*, *Argonautarum & Colchorum itinera describentes*; ut liquet *ex Callimacho* a Strabone relato, & ex *Apollonii libro* 4. *Argonauticon* Hinc *Virgilius Antenoris* migrationem describens Æneid. lib. 1. antiquam Hydrographiam est secutus.

Illyricos penetrare sinus &c.

A *Pelasgis* tunc dominabatur: post bellum Trojanum vero a *Diomede*, ut colligimus ex Dionys. Halicar. lib. 1. & ex Strabone lib. 5. & 7.

Postea a *Liburnis*, deinde a *Thuscis*, qui Adriæ nomen dedere ab Adria ipsorum colonia, ut docuit nos Livius.

De Dominio Pelasgorum, apud paucos extat memoria, de Liburnis, & Diomede, Regionum & Insularum nomina (quæ nunc quoque extant) sunt argumento.

Thusci itaque dedere nomen Adriæ: Atrienses vero, qui rebus Corcyræorum florentibus, Liburnis successerant, ditionem suam, ultra Garganum montem una ex parte, & ultra Dyrrachium ex altera, proferre non potuerunt; ideoque Adriatici maris denominatio, iisdem limitibus quibus Atrianorum ditio continebatur.

Hinc liquet, cum Illyrici mare illud latrociniis prædarentur, Dionysium ut a prædonibus Adriaticis Jonium tutum redderet, duas in Apulia urbes condidisse, propterea quod tunc temporis Apulia in sinu Jonio dicebatur, haud vero in Adria, cujus nomen ad ea usque littora, nondum prolatabatur, ut nobis facem præfert Diodor. Sicul. lib. 16.

A primo deinde, usque ad decimum Dalmaticum bellum, rerum quæ in Adria gestæ sunt, multi Scriptores seriem exscribunt; at decimo dumtaxat bello, Dalmatia, Illyricumque sæpe victum, tum demum fuit penitus subactum, Adriæque nomen in tanta bellorum varietate extensum, *Scylaci*, & *Straboni* exemplo fuit, ut fauces sinus Jonij describentes, ejusque sacros quodammodo limites in eodem sinu designantes, Adriam a Gargano & Dyrrachio, ut Atriensium tempore continebatur; describerent, tandemque statutis Adriæ & sinus Jonij faucibus, hæc duo maria in unum nomen coaluisse affirmarent, servato semper faucium limite, nunquam extra Ceraunias Japygiasque fauces extenso.

Jonij sinus & *Adriæ* collimitia, *Scylax Cariadiensis* topice describit, ei consentiunt *Scymnus Chius*, *Dionysius Characenus*, & *Strabo*; quorum testimonia eo conferemus, quo Philomaltensium cavillationes de Jonio & Adria, illudendas potius, quam delendas suscipiemus.

His itaque præmissis, quæ historico & Geographico ordine, eas nobis notiones perhibent, quibus Divum Lucam usum fuisse tenendum est; quid nobis afferre possunt Philomaltenses, comprobaturi Adriam Divi Lucæ temporibus, Afromelitam pertigisse? Livius historicorum Princeps docet *Italiam cingi Insulæ modo*, *mari Supero Inferoque*; Adriatico nempe & Tyrrheno. Stra-

Strabo lib. 2. *Italiam in Peninsulam redigi a Mari Tyrrheno, Ausonio, & Adria* affirmat.

Nemo Historicorum, vel Poetarum, vel Geographorum, quos Divus Lucas vel vidisse, vel legisse poterat, Adriam extra hodiernas fauces, vel nominat, vel designat. Quomodo itaque Sacer Historiographus dicendus est, Adriam usque ad Africanam Melitam protulisse?

Si novam hydrographiam Divus Lucas confecit, doceant nos Philomaltenses; sin vero alios est secutus, eos pro ipsorum doctrina sequi debuit; at nullus, usquam, cum in Libyco Siciliæ Meridionali pelago esset adeo desipuit, ut se in Adria fuisse scriberet: ergo nec Divum Lucam desipuisse, pro veritate historica, pro ratione hydrographica, & pro veneratione in ipsum Divum Lucam, serio fidenterque sustinemus.

§. VII.

VIsum est aliquibus Marium jura, & nomina confundere; Adriam personatum rati, ad Africanam Melitam facile posse prolatari. Omnem argumentandi vim in eo maxime collocant, quod ex Scylace, & Strabone eliciunt, sinum Jonium (1) idem esse cum Adria. Inde ex hypotheticis illationibus, miram quidem rem præstant, dum sinum Jonium cum mari Siculo, & Siculum cum Adria confundunt, denominationemque quæ ex intimo Sinus Adriatici Littore desumitur, usque ad Melitam Africanam perducunt. Quanam vero auctoritate confisi id faciant, nemo dixerit, nisi fortasse is, qui Claudii Ptolemæi errorem ex confusione Juris & nominis, a Divo Luca centenis ferme annis prævisum, adoptatum, ampliatumque, imprudenter contendat.

(1) Georgius noster, multa quidem eruditione instructus, quæcumque ex Græcis sive Latinis Scriptoribus congerere potuit, in illas suas inspectiones conjecit. Quæ ex se clara sunt argumenta, clarioribus illustravit; at ea quæ dubium aliquod in caussam olim suam, nunc nostram, inferre possunt, nuda & languida prorsus reliquit. Colendus ille quidem, summoque in pretio habendus ab omnibus; maxime vero a nobis, quibus angustæ eruditionis res, tum ingenii, tum doctrinæ paupertatem obiiciunt; at non adeo colendus, ut falcem nostram, quæcumque ea sit, in eamdem messem mittere desperemus.

Attulit ille M. Tull. Cicer. textum depromptum ex lib. 3. de Orat. *Hac autem ut ex Appenino fluminum, sic ex communi sapientiæ jugo doctrinarum facta divortia: ut Philosophi tamquam in superum mare Jo-*

re Jonium defluerent Græcum quidem & portuosum: oratores autem in Inferum hoc Thuscum, & barbarum, scopulosum atque infestum laberentur, in quo etiam ipse Ulisses errasset.

Nuda proinde assertione statuit, a Cicerone intelligi Adriam in Jonio intra fauces Ceraunias Japygiasque clauso, quam quidem Georgii nostri sententiam neque laudare, neque amplecti lubet. Si enim Adria in Jonio Græco, ergo extra fauces hodiernas: Græcum enim Mare, quod & Jonium Magnum Virgilius vocat, nusquam de sinu Jonio, qui intra fauces est, intelligi potest, nisi tergiversationibus, quibus Philomaltenses indulgent, morem gerere velimus.

Dimisso itaque Georgio, textum hunc Ciceronis explicabimus, ne ex ejus, quæ non levis est, æquivocatione, Adria extra fauces protensus videatur; deinde Scylacis, & Strabonis testimonia, quibus abutuntur Philomaltenses perstringemus.

Jonij denominationem Strabo cum Theopompo docet lib. 7. ortam esse a viro qui primus *Jones* in illa loca perduxit; alij a *Nympha Jo*, alij ut videtur Hygino, & Appiano, a *Jonio* Dirachi filio, per ignorantiam ab Hercule occiso, & in mare projecto. Quodcumque autem est nominis etymon, nihil ad nos; hoc unum constat, Jonium fuisse extra fauces Ceraunias Japygiasque; ejusdem vero Jonii sinum, intra memoratas fauces, & limites; & hunc sinum Jonium, ut ex dicendis patebit, idem fuisse cum Adria, haud vero Jonium Mare, quod aliquando Siculum *dictum est, & a Cicerone Græcum.* Cicero itaque, ne tantummodo de sinu Jonio loqui videretur, addidit τὸ *Græcum quidem, & portuosum.* Adriatici Maris vero de quo nobis quæstio est, duplicem statuimus denominationem: alteram *Adriæ*, alteram *Maris Superi*. Adriæ etymon, fuse lateque demonstravimus: mare vero *Superum* dicitur respectu *Inferi*, qui loquendi modus Geographorum est: illi enim ea omnia quæ in Septentriones tendunt, vocant *Supera*; quæ vero in Meridiem, *Infera*. At Septentrionale, & Meridionale punctum, licet apud Astronomos fixum sit, & quodammodo immobile, haud tamen apud Geographos eadem ratione constare potest, quibus Superum, & Inferum dicitur, ex sola latitudinis dimensione, respectu locorum, de quibus sermonem instituunt.

Denominatio Terrarum atque Marium, alia est respectu latitudinis, alia respectu nominis. Ea quæ dicitur respectu latitudinis ab Æquatore ad Septentriones; si referatur ad Globum Terraqueum; apud omnes eadem est. At ea quæ dicitur respectu latitudinis Septentrionalis, in partes divisæ ab 1. ad 90., iterum in se divisa est. Gradus secundus ab Æquatore in Septentriones, respectu Æquatoris, *Superus* dicitur, respectu vero gradus tertii, *Inferus* vocatur.

Denominatio vero, respectu nominis, ea est, quæ apud omnes eadem dicitur, & constanter usurpatur; neque variari solet respectu positionis, vel respectu alicujus personæ.

Mare Adriaticum quippe a Romanis dumtaxat Superum vocatum fuit, respectu suæ positionis; ab universo vero orbe Adria dictus est, respectu nominis.

Indica-

Indicavit itaque Cicero Adriam in Mari Supero; Jonio vero adjiciens *Græcum & Portuosum*, haud designavit sinum Jonium; qui cum idem sit unumque cum Adria, in Mari supero intelligitur. Verum enim vero, cum in Mari Supero, si Dyrrachium & Apolloniam excipias, nullæ Civitates sint, ex quibus Philosophi profluxerint, & cum *Crassus*, qui apud Ciceronem loquitur, de Græcia, præsertim vero de Athenis sermonem instituerit, τὸ *Jonium Græcum* quod in Tullii Oratore legimus, de Jonio extra fauces intelligendum est, a quo Græcia alluitur, quodque nusquam dici potest Superum respectu Romanæ urbis, in qua Cicero scribebat. Linea ducta a Romana urbe in Orientem, eo desinit, quo Ceraunii montes in Adria incipiunt, ita ut ibi sacris quodammodo divortiis Superum Mare, a Jonio Græco discriminetur, neque Mare illud quod Græciam alluit, Superi nomine indigitari possit, nisi ab iis, qui prima Geographiæ elementa, vel ignorant vel contemnunt, quosque non pudet Supera Inferis permiscere.

Jonium illud *Græcum*, perperam intellexit Georgius noster, pro sinu Jonio, sive Mari Adriatico; Philomaltenses vero perperam intelligunt, Jonium Græcum in mari Supero; neque enim Jonium Græcum ratione suæ positionis dici potest Superum respectu Romanorum, neque mare Superum in quo est sinus Jonius, idem est cum Jonio Græco. Intelligendus itaque est textus ille Tullii, pro Mari Supero ex consulto apposito nempe Adria & sinu Jonio, ne Dyrrachium & Apolloniam duo Philosophorum Emporia excludere videretur; & pro Jonio Græco quod Græciam alluit, Philosophorum omnium Matrem atque altricem.

Veniamus nunc ad *Scylacis*, & *Strabonis* testimonium, ex quo apertissime patebit, sinum Jonium qui idem est cum Adria, numquam extra Cerannias Japygiasque (quæ & hodiernæ sunt) fauces fuisse prolatatum.

Nos quidem neque Scylacis, neque Strabonis, de Adria & Jonio, sententiam pernegamus, imo nobis ipsis gratulamur, tanti momenti Scriptores, quæstionem caussamque nostram prorsus dijudicasse.

Ultima Scylacis verba Philomaltenses afferre student, ut legentes decipiant. At necesse est Jonium de quo Scylax & Strabo disserunt cognoscere, & proinde Philomaltensium fallaciam execrari.

Sic Scylax docet. Τὸ δὲ στόμα τοῦ Ἰονίου κόλπου &c. *Os autem Jonis Sinus est a Cerauniis jugis usque Japygium promontorium. A Cerauniis autem ad Hydruntum Japygiæ oppidum patet os ejus Sinus per stadia navigationis prope quingenta. Introrsum Jonius est: multi portus occurrunt in Adria: porro Adria & Jonius sunt idem.*

Si itaque Jonius introrsum est τὸ δ' ἐντὸς ὁ Ἰόνιος: si τὸ *introrsum* incipit ab ore, si *os* a Cerauniis jugis patet ad Japygium promontorum: si *Adria & Jonius sunt idem a faucibus introrsum*; quid Adriæ est cum Melita Africana? quid sinui Jonio intra statutas fauces clauso cum Jonio extra fauces? quid tergiversatoribus est cum Scylace? qui Sole clarioribus verbis scripsit; *Introrsum Jonius est*, nempe intra fauces, haud vero extra. At si Jonius qui introrsum est, unam eamdemque rem efficit cum Adria, quomodo Adria qui introrsum est, extra fauces effunditur? statuunt ne

Philomaltenses os, & fauces in medio ventre Maris Adriatici, ita ut, & ejus os sit ad Ceraunia, & Capite pertingat Melitam Africanam?

Strabo vero lib. 7. sic habet. *Post Apolloniam Balliace est, & Oreum, ejusque navale Panormus, & Montes Ceraunii, initium faucium sinus Jonij, & Adriatici. Fauces enim utrique sunt communes, eoque tantum differunt quod primæ parti* (*seu exteriori*: quod apposuit Xylander) *nomen Jonij tribuitur, Adriæ autem interiori usque ad intimum sinus recessum: quamquam hodie totum hoc Mare hoc nomen gerit.*

Philomaltenses ad hunc Strabonis locum exultant, gestiunt, & torquentur. Ajunt enim hoc *totum mare*, quod Strabo designat, haud dubie Siculum comprehendit.

Verum hunc Strabonis locum primum explicare necessum est, deinde Siculi maris fines, ex ipso Strabone, demonstrabimus, & tamdem, quod neque dici, neque fingi potest, evincemus, etiamsi Adria & Siculum idem essent, nihilo tamen fecius ipsius Strabonis testimonio, numquam Melitam Africanam in Mari siculo Strabonis fuisse.

Ac primum ne aliquis tergiversator Sinum Adriaticum, haud idem esse cum Mari Adriatico contendat, Strabonis auctoritate evincimus indiscriminatim, tum *Maris*, cum *Sinus* vocem usurpari. Strabo lib. 4. *Padum* memorans, eum docet incidere *in Adriaticum Mare* Ἀδριατικὴν θάλατταν. *Sinum* vero vocat lib. 2. & 7. ut in loco a nobis allato.

Nunc vero redeamus ad pensum, *Montes Ceraunii*, ait Strabo, sunt *initium faucium Sinus Jonii, & interioris Maris Adriatici*; at si fauces ibi incipiunt, quomodo Sinus Jonius extra fauces residet, vel Mari Siculo permiscetur?

Nonne Meridiana luce clarius est, Strabonem loqui de faucibus Sinus Jonii, & Maris Adriatici introrsum sumti, & *Xylandrum* superfluam rem præstasse, qui adjecit *seu exteriori*? Illud enim τοῦ πρώτου μέρους quod est in Strabone, satis est reddere *primæ parti*. Integrum Strabonis textum Græcum transcribentes, verbum verbo reddemus, ut quisque dignoscere possit, Xylandrum licet doctum Græcæ linguæ interpretem tenebras Philomaltensibus pro luce attulisse. Strabo lib. 7. τὰ κεραύνια ὄρη ἡ ἀρχὴ τοῦ στόματος τοῦ Ἰονίου κόλπου καὶ τοῦ Ἀδρίου τὸ μὲν δὴ στόμα κοινὸν ἀμφοῖν ἐστι, διαφέρει δὲ ὁ Ἰόνιος διότι τοῦ πρώτου μέρους τῆς θαλάττης ταύτης ὄνομα τοῦτο ἐστι, ὁ δὲ Ἀδρίας τῆς ἐντὸς μέχρι τοῦ μυχοῦ. *Ceraunii montes initium oris, Jonii Sinus, & Adriaci, at quidem os commune utrique est; differt vero Jonius; propterea quod primæ parti Maris ejusdem hoc nomen est; Adrias vero intus usque ad intimum recessum*: νυνὶ δὲ καὶ τῆς συμπάσης, *nunc vero simul omni Mari huic* (subintellige) *nomen Adriæ est.*

Inconcinna fortassis videbitur hæc versio, at necessum fuit verbum verbo reddere ut τῆς ἐντὸς a Xylandro male interpretatum ostenderemus, qui relative ad primam partem explicavit; quod erroneum est; nam τῆς ἐντὸς refertur ad illud τῆς θαλάττης, ut ex ipso articulo fœminini generis colligimus; alias dicendum esset Strabonem scripsisse τοῦ μέρους & τῆς μέρους quod falsum est: ex hac Xylandri, quæ aliquando summis viris contigit, hallucinatione, orta est illa adjectio (*seu exteriori*) quæ Philomaltenses in Syrtes egit, & decepit. Ex illa Xylandri adjectione Philomaltenses sicul-

neum

neum argumentum conficiunt, & Sinum Jonium extra fauces efficiunt, Siculo pelago permiscent, eo confisi, quod interius non datur fine exteriori.

At quis fanæ mentis Scriptor, ex Strabone colligere potest, sinum Jonium extra fauces prolatari, & Siculo pelago permisceri, cum ipse Strabo harum faucium initium statuat ad Montes Ceraunios?

In ore humano os a labris incipit, & labra dicuntur prima pars oris, sed quia dentes dicuntur intra os, idcirco ne labra extra os dici possunt? Audiendus tamen est Strabo, qui accurata Siculi Maris Descriptione, arripit Philomaltensibus omnem ansam tergiversandi. Sic ille lib. 2. *Porro Siculum pelagus ante Siciliam est, atque Italiam ad orientalem partem, & præterea inter fretum Rhegij, usque ad Locros & Messanam, porrigiturque usque ad Syracusas, & Promontorium Pachynum. Dilatatur versus orientem quidem usque ad Cretæ promontoria, & Peloponnesum majori ex parte circumluit, & implet Sinum qui Corinthiacus dicitur.* Porro ad Septentriones *attingit promont orium Japygium*, & fauces Jonii sinus, *partesque australes Epiri usque ad sinum Ambracium, eique continuatam oram maritimam, efficientem Corinthiacum sinum juxta Peloponnesum.* Jonius autem Sinus pars est Maris, quod nunc dicitur Adria. *Hujus vero dextrum quidem latus Illyris facit &c.*

Ex hac Maris Siculi accuratissima descriptione, quis unquam mortalium adeo insanire poterit, ut eliciat, Sinum Jonium extra fauces esse, & Siculo pelago permisceri? Strabo statuit fauces Sinus Jonii, terminum Maris Siculi ad Septentriones; quomodo igitur fauces quæ Siculum terminant, unum idemque dici possunt, cum eo quod terminatur?

At Philomaltenses ut Adriam sive personatum, sive inversum, extra fauces Ceraunias Japygiasque educant, ad *Polybium* confugiunt; quem asserunt recognovisse *Trajectum Jonium*, inter *Cocynthum*, & *Japygium*. Confuso proinde Sinu Jonio, & Trajectu Jonio, illum extra fauces, ad Cocynthum frontemque Italiæ protendentes, Adriam quoque, qui cum Sinu Jonio idem est extra fauces hodiernas educunt, Siculo permiscent, & totum illum Maris tractum, uno Adriæ nomine intelligi posse contendunt.

Nos vix risum, & vix bilem cohibere possumus tam ineptas Philomaltensium nugas recensentes. Primum quidem negamus Polybium recognovisse Trajectum Jonium inter Cocynthum & Japygium, at inter Cocynthum & Ceraunia; sic enim ille lib. 5. *Lembi portum insulæ ingressi, quæ dicitur Saso: est autem posita prope introitum trajectus Jonij.* Cum vero Saso Insula sit juxta Ceraunia, & ibi sit Introitus, quomodo fieri potest, ut Japygium sit initium Adriæ, & terminus Jonij? Tum ex Strabone, tum ex Polybio patet fauces Sinus Jonij esse ad Ceraunia, quomodo igitur Ciantarianæ Dissertationes pag. 99. statuunt primum Jonij Sinus ingressum ad Cocynthum, alterum vero ad Japygiam, & hoc secundum ostium a Strabone intelligi, Adriæ & Jonio Sinui esse commune? Triane ostia assignanda sunt Sinui Jonio? unum ad Cocynthum, alterum ad Japygium, tertium ad Ceraunia? putandum ne est D. Ciantar intellexisse ea quæ scriberet?

Expendamus itaque integrum Polybianum textum, ut veritas magis elucescat: sic ille. *Totius profecto Italiæ figuram triangularem referentis,*

unum quidem latus, quod ad orientem inclinat finitur Jonio trajectu; eique adhærente Adriatico Sinu. Quod vero ad Meridiem & occasum obversum est, Siculo ac Tyrrheno Mari terminatur. Hæc autem latera ubi mutuo sibi incidunt, summitatem efficiunt trianguli, nempe promontorium Italiæ quod tendit in Meridiem, & appellatur Cocynthus: διαιρεῖ δὲ τὸν Ἰόνιον πόρον καὶ τὸ σικελικὸν πέλαγος, *& hic dividit Jonium Trajectum a Siculo Mari.*

Cum itaque omnis Philomaltensium vis sit in eo, ut Sinum Jonium extra fauces Ceraunias a Strabone constitutas educant, & cum Mari Siculo confundant; Trajectum Polybianum, idem esse asserentes cum Sinu Jonio Strabonis, hypothesi propriæ derogant, & contradictoriis argumentis se ipsos obstringunt, & jugulant.

Polybius docet Promontorium Cocynthum dividere a Mari Siculo Trajectum Jonium, quem cum dividat, negat idem esse cum Mari Siculo: at sic accidit quærentibus lucem in tenebris.

Strabo ponit fauces Sinus Jonii, terminum maris Siculi ad Septentriones: Polybius Trajectum Jonium dividit a mari Siculo; quod itaque divisum est, unum idemque haud dici potest, quodque alterum terminat haud idem unumque est cum eo quod terminatur. Sinus Jonius igitur, a Cerauniis introrsum idem est cum Adria, haud vero extra fauces Ceraunias, ut liquet ex hallucinatione Xylandri, ut compertum est, auctoritate Scylacis, Strabonis, & Polybii, qui apertissime Siculum mare, a Sinu Jonio unam eamdemque rem cum Adria efficiente, secernunt, dividunt, discriminant.

At quid caussæ fuit ut Polybius statueret Trajectum Jonium, ad Promontorium Cocynthum, quod est extra fauces Sinus Jonii? Paucis reponemus. Polybius agit historicum, haud vero Geographum, cum itaque rerum meminisse deberet, loca primum in quibus gestæ sunt exscripsit; & cum de Militum, atque Classium Trajectu in Italiam loqueretur, trajectum ipsum, qui ante fauces Jonii Sinus est indigitavit, locumque quo definiebatur, qui Cocynthus est designavit; ut inde Stationes Classium, Imperii jura, & Marium collimitia, divisionesque paterent. Siculum mare a Trajectu Jonio divisit; Trajectus vero, & Sinus, numquam idem esse dici possunt; Trajectus enim lineam per quam transitur denotat, Sinus vero extensionem latitudinis longitudinisque complectitur: rem vero apertissime enucleatam habemus in ipso fluminum trajectu, qui topicum transitus locum indicat, universum vero flumen haud designat. Nostræ huic sententiæ arridet Virgilius lib. 3. Æneid. vers. 506.

Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.

Siculum Mare, meridiana luce clarius, divisum est a Sinu Jonio. At esto, quod a rei veritate abest, Strabo intellexerit Sinum Jonium mari Siculo permixtum; quonam tandem modo Mare Siculum Strabonis, Africanæ Melitæ affundi poterit?

A Promontorio Pachyno Mare Siculum Strabonis dilatatur versus orientem, & ab eodem Promontorio quinquagenis mill. pass. Melita Africana recedit in Meridiem. Linea ducta a Promontorio Pachyno in orientem statuit limites Maris Siculi; at haec linea quæ orientem versus porrigitur,

rigitur, ignoramas, nisi nos Diis natus aliquis doceat, quanam ratione includere possit Melitam Africanam, quæ in Meridiem protenditur, & ad brumalem occasum respectu præfati Promontori, inclinatur.

Vanas Philomaltensium hypotheses, contradictoria argumenta, falsas illationes delere, Herculeus labor esset, imo infinitus. Illi quidem nulla principia habent, auctorem nullum, nullum Geographum, qui ab ipsis stet. Adriam cum Sinu Jonio, sinum Jonium cum Jonio magno, Jonium cum Siculo confundunt, & ut Adriam extra fauces educant, Siculum, Jonium magnum, & Sinum Jonium enecant, destruunt, ad nihilum reducunt. At cum hæc omnia perpetraverint, Adriamne ad Africanam Melitam perducent? Contra sacra quodammodo veterum Geographorum oracula qui facere poterunt? Dent nobis veterum Scriptorum testimonia, quæ Divo Lucæ innotuisse probent, taceant vero errores recentiorum, quicunque sint, qui privata magni nominis auctoritate, publicæ Geographiæ jura ambiunt evertere; nos vero in sequenti exercitatione Ptolemaici erroris caussam explicabimus, ab illo enim quasi parente proseminati sunt omnes Philomaltensium errores.

EXERCITATIO II.

§. I.

Cum omnes res, sua principia habeant, atque incrementa, cumque nos demonstrativa argumenta deficiant; probabile aliquid quærendum est, quod habita Geographici thematis ratione, cujus evidentia primum locum obtinet, (1) historicis argumentis, fontem originemque Ptolemaici erroris, indicare possit & explicare.

(1) Georgius noster Ptolemæum accusavit, damnavitque; at ejus, cæterorumque privata auctoritas, ex animis Eruditorum, dubitationem quamdam, suspicionemque, haud potest evellere, nisi aliquid afferat, quod Ptolemaicam hallucinationem possit confirmare.

Extant adeo plana, adeo aperta, veterum Geographorum, vel qui ante Divum Lucam, vel qui ejus ætate floruerunt testimonia, ut dubitare de illis non possimus. Adriam nemo extra Ceraunias Japygiasque fauces eduxit; ab omnibus intra memoratas fauces, & nominatur, & clauditur, ita ut nomen Adriæ, nunquam extra statutos limites reperiatur.

Scylax Cariandenus, quem multi depravare conati sunt, sic docet in version. Lucæ Holstenii. *Ostium vero Jonii sinus a Cerauniis montibus est, usque ad Japygium promontorium, tractus autem ostii hujus sinus a Cerauniis montibus ad Hydruntum oppidum Japygiæ, 13 circiter stadiorum est; quidquid intra est, sinus Jonius vocatur. In Adria crebri sunt portus, idem autem est Adria, & Jonius.*

 Sci-

Scimnus Chius Scylacem sequitur Versu 360.

Post Italiam statim occurrit Jonium mare
Ad cujus ostium atque fauces ultimi
Japyges accolunt . . . .

Vers. 368. *Sequitur deinde mare quod Adriaticum vocant.*

Dionysius Characenus, sive Afer, sive Alexandrinus Scylacem, & Scimnum sequitur. Vers. 378.

At deinceps post hos Calabricæ sedes terræ.
Gentesque Japygum extensæ usque ad Hyrium
Maritimam: Hyrium ubi trahitur Adrium Salum,
Mare in finitimum Aquileense ubi condita est.
Urbs Tergestorum . . . . .

Vers. 387. . . . . . *Post vero immensum tractum ducens*
Illyricam circum terram volvitur usque ad Jugum
Montesque excelsos, quos Ceraunios vocant:

Hos sequitur Strabo lib. 7. *Et montes Ceraunii initium faucium sinus Jonii. Fauces enim utrique sunt communes, eoque tantum differunt; quod primæ parti maris hujus nomen Jonii tribuitur, Adriæ vero intus usque ad intimum sinus recessum, quamquam hodie totum mare hoc nomen gerit.* Nos in prima exercitatione hunc Strabonis locum, prout intelligi debet exposuimus; at hæc Strabo de Adria, scripsit quarto Tiberii anno, ut constat.

Proximus Straboni Pomponius Mela lib. 2.

Deinde Ceraunii montes ab iis flexus in Adriam.
Hoc mare magno secessu Littorum acceptum . . . . .

Livium, ceterosque quos jam attulimus, brevitati consulentes, tacemus. At hæc sunt veterum Geographorum testimonia, quibus Divus Lucas uti poterat, ex iisque ediscere Adriam Cerauniis Japygiisque faucibus occlusum. Quid itaque vanis falsisque cavillationibus indulgent Philomaltenses, ut Divi Lucæ temporibus Adriam extra statutas fauces prolatatum evincant, si Plinius ipse, qui post Divum Lucam scripsit. iisdem limitibus Adriam coercet, quibus *Strabo, Mela, Characenus, Scimnus, Scylax* ceterique circumscripserunt? Ptolemæus qui nova atque inaudita protulit, omnibus veterum Geographorum testimoniis erit anteponendus? Nova antiquis, unum multis, erroribus scatentem Ptolemæum, tot probatissimis Scriptoribus præferemus? Auctoritas veterum Scriptorum contra Neotericos assentatores; historica testimonia contra fabularum commenta, neque valebunt, neque tuto, & sine metu proferri poterunt?

Multi quidem ex neotericis, vel auctoritate vel novitate Ptolemæi permoti, Adriam extra statutas fauces, olim fuisse testantur. At quæ auctoritas in Ptolemæo, qui hallucinationibus, atque erroribus exundat? *Juvenalis Carlencas* dedit aliquod specimen Ptolemæicæ auctoritatis: sic ille Tom. 2. *Essais sur l' Histoire . . . . . des Sienees, & des arts: Ptolomée confond les Isles Fortunes* (Canaries) *avec les Gorgades* (les Isles du Cap. verd.) *il est certaine que les Fortunées sont entre le 20. & le 30. degré de latitude Boreale: cependant ce Geographe les mit entre le*

10. &

10. & le 20. ce qui est la veritabile position des Gorgades. Et alibi. *Ptolomée s' est trompé lorsque il a placé Eureux & lex Aulerciens ou est Orleans. L' erreur est contagieuse: l' Autorité decevante de ce Geographe a fait que d' Aulerci plusieurs ont tiré l' etimologie d' Aureliani*.

Ab ungue itaque discamus Leonem, iisque quæ nova sunt in Ptolemæo quæve ab antiquioribus Geographis diffident, fidem adhibere ediscamus. Ea tamen veritatis vis est, ut neque Ptolemæi error neque neotericorum hallucinatio Adriam usque ad Africanam Melitam possit perducere.

Ptolemæus Adriam tantummodo statuit (ut demonstravimus) ad orientalem partem Siciliæ, at Melita Africana in Meridionali pelago, quod Ptolemæo Africum est, jacet, & prospicitur.

Philip. Cluverius, qui, cum multa obsequendi gratia dixisset de Adria extra-Ceraunio, honori suo consulens dubitare visus est de iis quæ dixerat. At tanti viri Manes ignoscant, quid dubitandum erat in eo, quo commenta, & fabulæ fingebantur? Fatendum erat, & apertissime fatendum, Adriam extra Ceraunias fauces, nunquam fuisse prolatatum.

Cluverius in Introductione in universam Geographiam, tam veterem quam novam, *Amstelodami apud Sansonio-VVaesbergios anno* CIↃIↃCLXXXII. *editam*, sic docet. *Inter Siciliam Italiam & Græciam, Jonium dicitur Mare: cujus pars Sinus Adriaticus, inter Italiam & Illyricum ab Adria urbe, quondam sic dictus. Idem & Superum vocatur Mare, respectu Inferi, quod est Tyrrhenum. Adriatici iterum partes sunt Illyricum Mare, & hujus rursum partes duæ; Dalmaticum ad Dalmatiam, Liburnicum ad Liburniam. Inter Siciliam & Adriaticum Sinum, Ausonium dicitur Mare, quia hæc pars Italiæ olim vocabatur Ausonia. Sed postea. Omne hoc Mare, inter Siciliam & Illyricum, Græciam & Siciliam, Adriaticum est dictum, quod alio nomine erat Jonium, idem & Siculum*.

Plaudant sibi Philomaltenses, Cluverius enim ab ipsis stabit, dummodo ipsi Melitam Africanam inter Siciliam & Græciam deducant; quod si non fecerint ipsi neotericorum Geographorum errores contra ipsos pugnabunt. Optandum tamen erat, ut Cluverius, ceterique, qui fabulari de Adria aggressi sunt, accuratiori calamo nos docuissent, quomodo quandove Mare quod Jonium vel Siculum dicebatur Adriatici nomen sortitum sit, vel qua de caussa, quove tempore, intra primæ originis claustra (quibus hodie clauditur) redierit. Dicentne Philomaltenses id Divi Lucæ temporibus contigisse? At *Scylax*, *Scimnus*, *Characenus*, *Strabo*, *Livius*, *Mela* quomodo explicandi, quomodo intelligendi? Explicandine erunt illi ad mentem Cluverii, ceterorumquæ ejusmodi Scriptorum, an Cluverius, ceterique Scriptores ex ipsorum mente, & apertissimo testimonio dijudicandi?

Adria tum Divi Lucæ temporibus, ex memorata Geographorum auctoritate, Japygiis Cerauniisque faucibus claudebatur; tum post ipsum Divum Lucam, ut constat ex Plinio, qui ante Ptolemæum scripsit. Nunquam memorati Scriptores, Adriam extra hodiernas fauces, indigitasse leguntur, *ne postea* itaque Cluverianum, illa ætate haud incepisse, fidenter sustinemus. Neque alicui videatur argumentum hoc nostrum nega-

negativum esse, & proinde infirmum, nos enim negamus Adriam extra fauces ex silentio laudatorum Scriptorum; sed eo ipso probamus intra fauces hodiernas tantummodo, fuisse, ex ipsorum apertissima clarissimaque Adriæ descriptione intra statutas fauces luculenter, & topice designata.

Si quis urbem Romam in Asia, statueret, nos contra ipsum differentes, hoc argumento uteremur. Urbem Romam in Italia omnes statuunt; nemo unquam cum de Asia loqueretur urbem Romam nominavit; proinde & testimonio eorum, qui Romam in Italia statuunt, & silentio eorumdem, qui Romam in Asia, nullibi memorant, Romam in Italia esse haud vero in Asia, evinceremus.

Sic vel de Adria differimus. Nemo anteptolemæicus Adriam extra fauces Japygias Ceraunias que nominat, omnes intra ipsas illum includunt; ergo & affirmatione, & silentio eorundem, Adriam Divi Lucæ temporibus, cum hodierno Adria idem fuisse evincimus.

Si Cluverius, ceterique Scriptores, inter vivos versarentur, nosque ab illis peteremus, ut etymon Marium nos docerent; amplissimis Geographorum; vel historicorum testimoniis, illi nobis etymon, seriemque prolatationis exhiberent; quam quidem rem de Adriæ origine, ejusque ad fauces Ceraunias prolatatione nos ipsi præstitimus. At si ab illis eflagitassemus ut Adriæ illius, quem Ptolemæus ad Orientem Siciliæ protulit, quemque Cluverius ceterique inter Siciliam, & Græciam indigitarunt, seriem prolatationemque docerent, nihil profecto aliud afferre possent, præter nudum, & languidum ipsius Ptolemæi testimonium; in cujus verba se jurasse dicerent.

Quod nemo ante Ptolemæum effari ausus est, quod Ptolemæus ipso verbo tantum asserit, eamne vim obtinuisse dicemus, ut ceteros desipuisse; Ptolemæum vero haud errasse, inde colligi possit?

Ptolemæi error, ex antiquioribus Geographis probatur; erroris vero Ptolemæici originem, quoad fieri potest, detegendam aggrediemur, ut dubitatio suspicioque omnis, ex eruditorum animis evellatur.

Liburnarum Navium memoria in Pompejano bello passim extat, earumque agilitate, prælio Actiaco Augustus Victoriam est consecutus; inde Liburnarum nomen adeo inclaruit, ut deinceps Romani Imperatores ad earum similitudinem naves construerent, Liburnasque vocarent *Veget.* Lib. 4. cap. 33. Omnes vero Romanarum rerum Scriptores, integrum Adriatici maris Dominium, tum demum ad Romanos devenisse docent, cum Augustus omnes hujus Maris Insulas, & Maritimas oras subegit, & a prædonibus vindicavit. Proinde vero ex eodem *Vegetio* Lib. 4. cap. 31. patet, Adriatici Maris custodiam Ravennati Classi fuisse demandatam, ejusdemque Classis Adriaticæ jura usque ad Orientem extensa. Quæ quidem Custodia, & Adriaticæ Classis jura semper viguisse constat, donec Romanorum res, integræ steterunt atque incolumes.

Apud Misenum (ex Vegetio Lib. 4. cap. 31.) *& Ravennam singulæ legiones cum Classibus stabant, ne longius a tutela urbis abscederent, & cum ratio postulasset, sine mora, sine circuitu ad omnes Mundi partes pervenirent; nam Misenatum Classis, Galliam, Hispanias, Mauritanias, Africam,* *Ægy-*

Ægiptum, Sardiniam atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Ravennatium, Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum Orientem, Cretam, Cyprum directa navigatione petere solebat.

Hinc constat Siciliæ custodiam Misenati Classi fuisse tributam, Maris vero Siculi dicti Ravennati, sive Adriaticæ, cujus jura Siculo Mari dominabantur; unde apertissime patet Adriatici nomen extensum fuisse, jure Classis *dominantis denominantisque*, haud vero jure rei designatæ; Jonium enim & Siculum, Adriæ nomine a Ptolemæo indigitatum censemus, ex Imperio Classis Adriaticæ, haud vero ex Mari Adriatico, quod revera, neque coerceri, neque protrahi poterat.

Tacitus ipse scribens de Augusto: *Ille* (inquit) *libellum composuit, quo opes Publicæ continebantur, quantum Civium sociorumque in armis, quot classes regna . . . . . . quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus*. Ejusmodi liber dicebatur *Breviarium*, alias Seneca lib. 5. epist. 39. appellat *Summarium*. Eum Codicem sequentes Imperatores retinuerunt, sed prout Imperij tempora, atque usus exigebant, minuerunt, ampliarunt, immutarunt. Hinc Ptolemæum conijcimus usum fuisse *summatio* aliquo Imperii Romani, in quo Ditio Juris, ejusque divisio, haud vero topographica Terrarum Mariumque dimensio continebatur. Ipse enim Vegetius lib. 4. cap. 32. docet: *Liburnas quæ Jonio in Mari locatæ fuerant, ad Præfectum Classis Ravennatium pertinuisse*. Fundamenta vero, hujus nostræ conjecturæ, ex ipsa evidentia elicimus. Quod enim Jure Ditionis fuit signatum, hoc cessante Jure desiit signari, & Adria usque ad hæc tempora intra suas fauces existens, semper ibi eum extitisse Jure topico apertissime confirmat.

Ptolemæum excusaturi, ejus erroris originem investigundam, explicandamque operæ pretium duximus. Quod si alicui hæc nostra argumenta infirma videbuntur, potiora & validiora afferat, neque sola negatione utatur.

Ptolemæi errorem probamus auctoritate antiquiorum Geographorum, ejus erroris fontem (ne ipsum insipientiæ arguamus) obvia conjectura aperimus; illi vero qui in sententiam nostram ire recusabunt, dent saltem aliquid quod Ptolemæicam novitatem, vel leviter confirmet; neque se eruditis satisfecisse arbitrentur, vano illo circulo: Ptolemæus dixit, ergo vera dixit; & vera dixit quia Ptolemæus dixit: hæc enim sunt puerorum ludicræ ineptiæ, haud vero sanæ mentis ratiocinationes. Classis Adriaticæ jura, cum ipso Adria a Ptolemæo confusa dicimus, ut cum ipso blande, & molliter agamus, tacet enim erronea Ptolemæi auctoritas ubi antiquorum Geographorum loquuntur documenta.

Germanicum a Germania devicta, *Scipionem Africanum* ab Africa domita denominatos fuisse accepimus, at nec *Drusum* in Germania neque *Scipionem* in Africa, natos esse inde colligere possumus. Equites Germanici, ad Germanici defuncti memoriam instituti, Germani ne sunt dicendi? *Luciusne Æmilius Paulus*, *Macedonicus* dictus a Macedonia subjugata, ex Macedonum gente vocabitur? alter ne *Numidicus* a Numidia subacta, Numida dicetur? Siculumne Mare a

Classe

Classe Adriatica custoditum, Adria nuncupabitur; ita ut Ditio Romanæ Classis Geographica elementa evertat?

Primigena Marium nomina, Geographice scribentibus, sacro quodam jure sunt tenenda, innovationesque omnes vel vitandæ, vel explicandæ; quod nisi fecerint, tenebras pro luce, nubem pro Junone, eos amplexos esse dicemus.

Quod olim Mare Adriaticum vocabatur hodie *Culphus Venetus* dicitur, at accuratus Geographus Adriæ nomine penitus obliterato *Culphumne Venetum*, nudo atque absoluto nomine describere poterit? Hæc nova denominatio desumpta est a Jure Classis Venetæ, Mare hoc custodientis; quæ quidem vox *Culphi Veneti* Latino-Græca Adriæ intra fauces adhæsit, cum Veneta Classis Saracenos Adriatico Sinu expulit, Narentanosque delevit, quod ante Emanuelis Græcorum Imperatoris tempora contigisse docet Dandulus de Thoma Mauroceno differens. Ut tamen incongruam rem præstaret is Geographorum qui Adriam in Culpho Veneto a Jure Classis Venetæ sic dicto, obliteratum affirmaret, sic extra aream claudicavit Ptolemæus, qui Siculum Mare obliteravit, & Adriam induxit, ex sola Adriaticæ Classis ditione.

Hoc autem discrimen esset inter novum aliquem Geographum, & Ptolemæum, quod Adria & Sinus Venetus, cum sint idem in se, jure topico rei, promiscue usurpari possunt, & Adria accipi pro Sinu Veneto, & Sinus Venetus pro Adria. Siculum vero & Adriaticum Ptolemæi, Jure ditionis confusum promiscue usurpari haud possunt, neque enim Tergestum dici potest in mari Siculo, neque Messana in Mari Adriatico. Collimitia, & divortia Marium sacro jure servari debent, ne in pristinum Chaos quodammodo incidamus.

Esto enim Adria cum Mari Siculo idem fuerit, esto Adria usque ad Melitam Africanam pertigerit, quid inde eveniet? Chaos profecto & tenebrosa quæstio, quæ non solvetur neque solvi poterit in æternum & ultra.

Melita Illyrica, æque ac Africana essent in Adria; cetera quæ Divus Lucas narrat, de utraque intelligi possunt; hoc tamen discrimine, ut Philomaltenses miraculis utantur in controversia Serpentum, nos vero haud sic. In hac itaque licet fictitia paritate, quidnam quærendum est nisi questionis centrum, quod est Adria? At si centenis documentis eximiæ diligentiæ auctorum qui vel ante Divum Lucam, vel cum Divo Luca, vel post Divum Lucam, sed ante Ptolemæum floruerunt, nos evincimus Adriam extra suas fauces, numquam prolatatum; si ipsius Ptolemæi errorem, fontemque erroris detegimus, quinam fieri poterit, ut Ptolemæi unius falsa atque erronea auctoritas, tot clarissimorum Geographorum documentis anteponatur?

At dicent Philomaltenses, Ptolemæi auctoritatem eo perductam esse, ut nemo de ea dubitare possit, quæ neotericorum testimonio fulcitur, & in dies augetur. Itane ex continuatione erroris, veteris Magistri Ptolemæi error, vires capiet? Scylacis, Scimni, Characeni, Strabonis, Plinii auctoritas nuci floccique facienda erit, falsa, nova, atque inaudita, docente Ptolemæo? Illi etymon, illi historicam Marium seriem,

riem, illi ſacros quodammodo limites dant, explicant, deſignant; iſte unus, erroribus ſcatens, centenis ferme annis poſt Divum Lucam ſcribens, nudo Adriæ nomine deceptus, eam auctori tatem adeptus dicetur, ut & veterum teſtimonia evertat, & Divo Lucæ ante ipſum ſcribenti facem prætuliſſe cenſeatur?

Contentio quidem omnis Geographica, & erudita eſt; at ſi fabularum commentis, & falſis hypotheſibus Philomaltenſes indulgent, nihil eſt tam ſacrum, nihil tam rationibus fulcitum, quod per cavillationes, & ſophiſmata obtenebrari non poſſit.

§. II.

GEorgius noſter, breviſſimo labore, (1) Horatii Flacci teſtimonium, funditus delevit, vel deleviſſe ſibi viſus eſt. Ut ſe ſe, ab omni explicatione expediret, eruditus quidem, at plus æquo cordatus ille noſter Scriptor, Horatium metri gratia, auſum fuiſſe ad Actiacum Promontorium Adriam perducere, affirmavit: quod neque tantum Poetam, neque tantum Criticum decet. In illius verba jurare renuimus, neque adeo nos eſſe cordatos profitemur, ut Horatium ſterilem, & verborum inopem dicere audeamus. Veritas itaque nos manuducat.

(1) Horatius Flaccus lib. 1. Epiſt. 18. Pugnam Acticam in Adria indigitaſſe videtur.

- - - - - - - - - - Actia pugna
Te Duce per pueros, hoſtili more refertur
Adverſarius, eſt frater: lacus Adria - - -

Unus itaque ex Scriptoribus Latinis, & iſte quidem ex Poetarum numero, Adriam ad vicinum Epiri Promontorium ceciniſſe videtur; ceteri vero Latinorum atque Græcorum, Actiacum Promontorium in Jonio & Siculo ſtatuunt, vide Strab. lib. x. Geographo ne an Poetæ credendum.

P. Juvencius Soc. Jeſ. in notis ad Horatii textum illuſtrandum appoſitis, Adriam, ait, a Flacco ibi memoratum, propterea quod, juxta extrema Maris Adriatici confinia, Actiaco prælio decertatum fuit. Omnes Romanarum rerum Scriptores, ſive Græci, ſive Latini, Pugnam Actiacam referunt ad Promontorium Actiacum, quod in ea Epiri parte eſt, que Mari Jonio inſidet, quodque huic pugnæ nomen dedit, & ab ea celebritatem nominis eſt conſecutum.

Sex. Propertius Aurelius, de Pugna Actiaca navali, ſic cecinit lib. 4. verſ. 15.

Eſt Phœbi fugiens Athamana ad Littora portus

Qua

Qua Sinus Joniæ murmura condit aquæ.
Actia fulca ...

Et Vers. 43. *Vincit Roma fide Phœbi, dat fœmina pœnas;*
Sceptra per Jonias fracta vehuntur aquas.

Ex hoc itaque Propertii testimonio patet, navali Actiaca pugna, in Jonio decertatum fuisse; neque metri gratia accubatus Poeta Jonium usurpavit; semel enim, & iterum eadem voce utitur; & licet veteres Poetarum, quodlibet Maris nomen, pro Mari aliquando afferant, tamen cum topice, vel res, vel facta describunt, ab accurata scribendi methodo, non recedunt.

Idem Propertius lib. 3. Eleg. 19. primum Adriam, deinde Jonium nominat; unde satis patet, Adriam ejusque Sinum, ante Jonium, neque idem cum Jonio fuisse, ea ætate qua Propertius scribebat.

Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hospes

Deinde per Jonium vectus

Quæ quidem Propertii carmina hydrographice scripta, haud vero Poetice, nemo inficiari potest. *Plutarcus* in Antonio, sic habet.

Suberant ... Antonio ab Euphrate, & Armenia usque ad Jonium Mare & Illyricum omnia: Cæsari quæ ab Illyrico usque ad occiduum Oceanum, & inde usque ad Tyrrhenum, & Siculum Mare omnes provinciæ ....

Cæsar autem Classem Tarenti Brundusiique continens navibus instructam, non ad altitudinis molisve ostentationem paratis .....

Interim Antonio apud Actium Naves in statione tenente eo loco, ubi nunc est Nicopolis, transmisso Jonio Mari Cæsar Toronem (Epiri locus est) *occupat*.

Ex his itaque patet Antonium fuisse in Jonio, Cesarem autem in Adria, qui Brundusium alluit. Cum tamen Antonius naves apud Actium in statione teneret, Cæsar transmisso Jonio, in Epirum migravit, & commissa pugna apud Actium Epiri promontorium, quod Jonio insidet, pugna eadem in Jonio haud vero in Adria, ab Horatio referri debet.

Quod Propertio erat Jonium, idem erat & Horatio, uterque enim eadem ætate, & de eadem re scribebat: Propertius floruit anno XVI. Horatius vero obiit anno VIII. ante Christum natum totius humani generis Reparatorem.

Quod vero posterioribus annis Plutarchus retulit accidisse in Jonio, id ab Horatio haud ignorari poterat, qui Actiacæ pugnæ temporibus Romæ degebat, & Mecenati ad eamdem pugnam proficiscenti sese socium jactabat; Epodon lib. 1.

Ibis Liburnis inter alta Navium &c.

Philomaltenses miram item præstant, qui vanis, & emendicatis cavillationibus, nos in ea angustias redigunt, ut in Geographica quæstione in Divi Lucæ sacra Historia explicanda, Romanos Poetas, & Oratores elucidare necessum sit. Quasi vero censendum esset, Sacrum Historiographum in rebus Geographicis, & Hydrographicis, cum Græce scriberet, Latinis Poetis, & Oratoribus potius, quam Græcis Geographis adhæsisse. Ratio tamen in promptu est, quæ Horatii testimonium explicabit.

Posse-

Possemus, si tergiversandi animus esset, allatum Horatii testimonium ex lib. 1. Epist. 18. sic explicare. Antonius erat in Jonio apud Actium: Cæsar in Adria apud Brundusium, antequam adversis armis coirent. Qui itaque Actiacam pugnam referre volebat, is primum Classium Stationes,& deinde progressum pugnæque exitum,ut fingeret,necessum erat.

Quapropter Lollius (de quo Horatius) cum in lacu quem in suis prædiis habebat, Actiam pugnam ludicra puerorum manu referret, & Cæsaris personam ageret, ejus vero frater Antonii loco esset; primum Classium stationes, deinde ipsarum concursum, denique pugnam exhibuisse censendus est. Cum vero hæc omnia, partim in Adria, partim in Jonio, vel ad utriusque confinia gesta sint, quis Horatium incusare poterit, ex eo quod Adriam potius, quam Jonium nominaverit?

Possemus cum Scholiaste Appollonii lib. 4. Argonaut. asserere, ex conjunctione Adriatici cum Jonio, interdum κατὰ μετάδοσιν τῶ ὀνόματος, Adriaticum a Poetis usurpari pro Jonio, & vicissim Jonium pro Adriatico; vel cum Sulpicio, in tres partes Jonium dividere scilicet *in Adriaticum, in Achaicum,& in Epiroticum*, & inde conjicere, Horatium partem pro toto sumpsisse. At hęc omnia quę Georgius noster potius afferre poterat, quam Horatio audaciæ notam inurere, iis relinquo, quos verbi controversia torquet, quive contentionis cupidiores sunt, quam veritatis.

Plutarchus historica fide suis quæque nominibus indicavit, & in iis, in quibus gesta sunt locis diligenter excripsit. Propertius accurate Actiacam pugnam, pro rei, locorumque veritate cecinit. At Horatius licet accuratus sit, & veritatis studiosissimus, cum Aulicum ageret quidquid Augusti gloriam, vel ornare, vel augere poterat, sedulo consectabatur.

Hac itaque de causa, Actium Promontorium quod Jonio Mari insidet, in Adria cecinisse videtur, ut inde duo hæc paterent: *Unum* Adriacis Navibus nempe Liburnis, victoriam a Cæsare fuisse reportatam; *alterum* Adria subacto ejus jura cum victricibus armis, ad Romanos devenisse, Augusto Maris insulas, oramque Maritimam a prædonibus vindicante.

Si quis vero in hydrographico themate Poetis potius, quam Geographis vellet indulgere, is profecto uberrimam in Horatio tergiversationum messem nancisceretur. Horatius lib. 2. Carm. ode 6., Mare quod ante Syrtes est, vocat *Mare Maurum*, at Libycum esse constat: Epodon 10. vocat *Jonium Sinum*: lib. 1. ode XXVIII. vocat *Illyricas undas*: lib. 2. ode 1. vocat *Mare Daunium*, quod lib. 1. ode 3., ode 27., & lib. 3. ode 3. vocavit Adriam.

Statius quoque Silv. lib. 3. de itinere Celeris, primum canit *Siculum profundum*, deinde *Adriam*, denique *Mare Carpatrium*; Thebaidos lib. 6. *Jonii & Lybyci iras memorat* & lib. 9. *Seditionem Maris Siculi* describit. Ex Poetis itaque Marium divortia, & collimitia, neque accersiri, neque haberi possunt, quis enim in Statio, vel loca, vel divortia inveniet Siculi, Jonii, Adriæ, & Carpathii, si eo ordine, quo Poeta usus est, illa exquirat? Georgius noster, miram novamque rem præstasse sibi visus est, qui Poetico Statii œstro morem gerens, ut Adriam cum Carpathio explicaret, nactus est novos Adriatici Maris impetus, quos nautico vocabulo appellari dixit: *La Fogara del Golfo di Venezia*, quosque

per

per amplius centena millia passuum propagari asserit. Quam quidem nauticam eruditionem, si præteriisset silentio noster ille Scriptor, laudandus esset, satis enim eum satisfecisse eruditis judicamus, argumentis quæ subdit; nos vero si Statii testimonium aliquis contra nos stare affirmabit, petemus ab eo, ut Siculum, Jonium, & Adriam cum Mari Carpathio, divortiis limitibusque explicet, & proinde Poeticam hydrographiam afferat, ut Geographica elementa, quæ ordine, & ratione constant, evertat. Quonam enim Statius, Siculum & Jonium collocasse dicendus est, cum Adriam Mari Carpatio jungit? quonam Adriam conjecit, cum Siculum, Jonium & Libycum eduxit? Ergo ne Adria ex Statii cantu, ad orientem Cretæ perducendus est ut Carpathio Mari jungatur? Satinsne Poetico œstro permotus, post fretum Siculum, tractum illum Maris Prothei figuras, personasque agentem, designare poterit, Siculo, Jonio, Libyco, & Adriatico nomine, ejusque tam monstruosa hydrographia, apud Philomaltenses, eam auctoritatem habebit, ut Divo Lucæ Statium facem prætulisse affirment?

§. III.

OMnes Geographi qui innotuisse Divo Lucæ poterant, (1) Adriam genuino nomine indigitant, Italiæ affundunt, ejusdemque longitudini exæquant. Quod cum sensissent Philomaltenses ne quid intentatum vel inausum relinquerent conati sunt, haud dumtaxat Siciliam Italiæ ascribere, verum etiam Siciliam cum Italia idem unumque esse, haud veriti sunt affirmare.

(1) Torquent Philomaltenses Strabonem illisque suffragari ajunt, eximium istum Geographum quum Lib. 5. Adriæ longitudinem Italiæ longitudini exæquat. Si enim (sic ratiocinantur) Adria exæquatur longitudini Italiæ, & si Sicilia est in Italia, ergo Adria usque ad Siciliam prolatatur. At audiamus Strabonem, deinde hisce ineptiis morem geremus, quandoquidem cum Creticis Creticandum est.

Strabo Lib. 5. *Reliqua autem Italia angusta est, & longa, duobusque finitur verticibus, quorum alter in Siculum fretum, alter in Japygiam excurrit. Stringitur vero utrinque hinc Adria, illinc Tyrrheno mari. Adriæ figura, & magnitudo assimilatur Italiæ distermina[t]æ, Apenninis montibus, & utroque Mari ad usque Japygiam . . . . .*

Plumbeo calamo aliquando nobis utendum est, ne plus quam decet feriamus. Quid enim sibi velint Philomaltenses, inter quos *Cajetanus*, & *D. Ciantar*, ex hoc Strabonis loco, haud dijudicari potest. Si nos deficerent alia argumenta, quibus Adriam intra Ceraunia, & Japygia Claustra probaremus, hoc unum Strabonis testimonium caussam litemque nostram dirimeret.

Adriæ figura, & magnitudo assimilatur Italiæ ad usque Japygium: Sic docet

docet Strabo in allegato loco. *Italiam in Peninsulam redigunt mare Tirrhenum a Ligustico incipiens, & Mare Ausonium & Adria:* Sic docet Lib. 2. *Montes Ceraunii initium faucium Sinus Jonii & Adriatici:* Sic docet Lib. 7. Quommodo itaque, vel figura vel longitudo, vel magnitudo Adriæ, extra Japygium, & extra Acroceraunia prolatari poterit? Straboneum ne an Philomaltenses somniare dicemus? Eruditorum judicium esto.

Cum tamen nos quæstiones inanes, sine caussa, & supervacaneas vitare velimus, ultro patiemur Siciliam cum Italia unam eandemque rem efficere; licet enim neque probare, neque laudare possimus ejusmodi monstrosam Geographiam, tamen hanc caussam ipsis Philomaltensium argumentis agemus; sequemur quocumque ducunt, & quocumque duxerint, ibi eos ipsorum armis oppugnabimus.

Adriam Strabo affundit Italiæ, a parte Orientali in Septentriones; Tyrrhenum vero, a Meridionali parte in Occasum. Si itaque Italia unam eandem rem efficit cum Sicilia, & si Italia stringitur hinc Adria illinc Tyrrheno, necesse est ut prolatato usque ad Pachynum Adria, a parte Orientali, usque ad eundem Pachynum prolatari debeat Tyrrhenum a parte Australi.

Quibus ita dispositis, necesse erit, ut Philomaltenses fateantur partem Australem Siciliæ, ut eam quæ cum Italia idem est, a Tyrrheno mari allui. Deinde si Melita Africana, haud solum Australis est respectu Siciliæ, verum etiam in Africum, sive Libam tendit, respectu Promontorii Pachyni, necessum erit illam in Mari Tyrrheno collocare, haud vero in Adria: unde patebit eam tergiversatoribus necessitatem subesse, ut numquam sibi constare possint. At si aliquis intelligit Siciliam efficere unam eandemque rem cum Italia, is damnandos, cremandosque curet, tot illustrium Scriptorum libros, qui ne per jocum quidem, ejusmodi mostra fingere permittunt.

Strabo Lib. 5, ut demonstravimus docet, *Italiam finiri duobus verticibus, quorum alter in Siculum fretum, alter in Japygiam excurrit.*

Polybius Lib. 2. *Triangulari forma Italiam delineavit.*

Pomponius Mela Lib. 2. *Frontem Italiæ in dua cornua se exrentem, & mare quod inter utrumque admittit, tenuibus promontoriis distinguit.*

Plinius Lib. 3., docet *a Locris Italiæ frontem incipere.*

Thucidides ipse Lib. 6. *Siculos*, ait, *ex Italia in Siciliam observato freto trajecisse.*

Philomaltenses Hydrographi, invito Neptuno, Adriam usque ad Africanam Melitam protrahunt; at numquam docent, Adriam ab aliquo Scriptore extra Sinus Jonii fauces usurpatum. Verum ne aliquid magnum ab illis exposcere videamur, doceant tantummodo unum ex Anteptolemaicis, Insulam in Siculo mari positam, vel aliquod navale prœlium confectum in Siculo, vel Lybico Mari, sub Adriæ nomine exposuisse, ut Divus Lucas haberet quem imitaretur. Nos enim haud satis ducimus, ex divortiis vel ex adhæsione marium, evinci posse, ut Adriam intra Illyricas oras, Italasque regiones inclusum, per ambages, & consequentias ex antipodis petitas, affirmare possimus, unum idemque esse, cum Ionio, Siculo, Cretico & Lybico mari, eaque omnia unius Adriæ nomine complecti. Stulti

Stulti itaque omnes Geographi, qui cum uno verbo se expedire possent, e tanta marium dimensione, tot nomina confecerint. At haud stulti illi, qui Maria a denominatione terrarum quas alluebant nuncuparunt, ita ut Mediterraneum Mare, quod universale est, in diversas, quasi Provincias divideretur, & in Mari esset locorum denominatio, eadem dimensione circumscripta, qua Provincias in continente positas, metimur.

Marium vero divortia, haud sola auctoritate Geographorum statuimus, verum Historicorum omnium Principis testimonio firmamus. *Thucydides* is est, quem Philomaltenses aliquando in auxilium advocant; nos vero in quæstione Adriæ, quid Thucydides ipsi prodesse possit, prorsus ignoramus; ille enim Adriæ nomen nusquam usurpavit. Hortabimur itaque Philomaltenses, ut primum legant Scriptores quos advocant, & deinde ad ipsorum auctoritatem tam fidenter confugiant.

Nos Thucydidi hæremus, ut divortia marium vel ab ipso Historiæ Principe designata comprobemus.

Thucydides Lib. 6. apertissimis verbis Jonium Sinum a Mari Siculo dividit; Jonium enim Sinum ad terram statuit, Siculum Mare per altum se ferentibus indigitat.... *Ut Sicilienses quidem iisdem finibus utentes, quibus nunc, de quibus non est quod apud vos querantur. Jonico Sinu si quis navigando terram legat, & Siculo si quis per altum feratur: sua possidentes, res item suas componant.* τῳ Ιονιῳ κόλπῳ παρὰ γῆν, ἢν τὶς πλέῃ, καὶ τῳ σικελικῷ διὰ πελάγους· τὰ αὐτῶν νεμομένους.

At expendamus mentem Thucydidis, ut ipse nos docet topographicam Maris Siculi positionem. Lib. 4. *Hoc autem fretum est, inter Regium & Messanam qua brevissimo spatio Sicilia distat a continente; atque hæc est, quæ Charybdis appellata fuit, qua Ullisses transisse fertur. Hoc autem mare propter loci angustias, & ingentium Marium Tyrrheni, & Siculi concursum......* διὰ στενότητα δὲ καὶ ἐκ μεγάλων πελαγῶν τῇ τε τυρσηνικῆ, καὶ τῶ σικελικῶ,

Thucydides igitur Mare Siculum, quod magnum vocat, ad fretum Messanæ statuit, ibique docet concurrere cum Tyrrheno. Siciliensis itaque ora quę Orientem spectat, Siculo Mari alluitur, & Siculum Mare, nullibi cum sinu Jonio confunditur, imo apertissime ex verbo Thucydidis Lib. IV. discriminatur.

Exquiramus nunc topicam Sinus Jonij positionem Lib. I. *Epidamnus est urbs ad dexteram sita navigantibus Jonium Sinum versus.* Ἐπίδαμνός ἐςί πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τὸν Ἰόνιον κόλπον.

Illud. *Navigantibus Jonium Sinum versus*, delendum videtur, censemusque tutiorem versionem effici legendo: *Naviganti Jonium Sinum*, aliter judicandum esset, nondum Jonium Sinum attigisse, cui naviganti Epidamnus ad dexteram foret: quod in ipsam evidentiam pugnat. Ignoscant nobis Laurentii Vallę Manes, ejus enim est illud *versus*; quum enim de Geographia agimus, ratio a nobis expetit ut verba verbis metiamur.

Afferunt Philomaltenses Cluverij testimonio, Thucydidem ab Orientali Siciliæ latere, ad Cretam usque Adriaticum Mare perduxisse: quod quantum a rei veritate absit, docet nos ipse Thucydides Lib. IV.

Cythe-

Cythera autem est Insula, quę agro Laconico adjacet, e regione Maleæ. ..... Simul etiam piratæ Laconicam oram a Mari (qua tantum infestari poterat minus infestabant. Tota enim hæc Insula consurgens ad Siculum & Creticum Pelagus porrigitur πρὸς τὸ σικέλικον, καὶ κρητικὸν πέλαγος.

Si vero Cytera (hodie Zerigo) ad Siculum, & Creticum Pelagus porrigitur, ubinam Adriaticum ad Cretam usque protractum? Adriaticumne Mare ad Cretam protraxit Thucydides, qui numquam Adriam nominavit, qui de Cretico & Siculo Mari loquitur, qui Lib. 6. Siculum Pelagus, a Jonio Sinu dividit?

Sic ex falsis hypothesibus, ex conficta scriptorum auctoritate, ex conglomeratis diversorum Marium finibus, quod nemo Geographorum fecit, Philomaltenses efficere conantur. Luctuosissimo veritatis fato accidit, ut Scriptores ii, qui res agunt omni prorsus ratione destitutas, ad insidiosa loca confugiant, & inversis, mutilatisque auctorum testimoniis pugnando, vicisse revera putent, dummodo vicisse videantur. Quod quidem aliqui ex neotericis Philomaltensibus fecere, ut in sequenti exercitatione demonstrare, & evincere aggrediemur.

EXERCITATIO III.

§. I.



Elita Africana Propugnatorum ditissima, recentioribus hisce annis, nacta est dissertissimos Apologistas qui Georgio nostro diem dixerunt: Alter est Pater (1) Rupertus a Sancto Gaspare Carmelita; alter D. C. Joann. Anton. Ciantar; hic Disertationibus Apologeticis, ille inspectionibus amicis. Utrumque ex his dissertissimis viris, summo obsequio prosequimur, & ea quæ a nobis unicuique ipsorum tribui debent ultro tribuimus. At non omnes ad omnia nati, nec si eos heic dormitavisse asserimus, in aliis vigiles fuisse negamus: potest aliquis Martem potius amplecti quam Minervam, & Scholasticis tergiversationibus plus pollere, quam critica eruditione.

(1) Strenuissimi Apologistæ, impune Georgium incusant, & nebulonis, veteratoris, Impostoris nomine mortuo Leoni insultant. At gratia sit verbo, blaterones isti accusationes facilius fingere, quam probare didicerunt. Ipsi quidem cum nova argumenta non haberent, novis jurgiis

Georgium nostrum adoriri studuerunt, ita ut si quis ipsorum volumina evolveret, nulla temporis, quo typis mandata sunt, habita ratione, ac deinde anticriticas Georgij inspectiones expenderet, haud fieri posset, quin Georgium posteriorem fuisse in scribendo censeret: adeo recoctæ adeo rancidæ sunt Apologistarum argumentationes. Nihil ab ipsis vel dictum audivimus, vel scriptum legimus (si jurgia excipias) quod ab ipsorum antesignanis, vel dictum, vel scriptum non fuerit. Etsi nobis nihil negotii sit, cum hujusce furfuris Scriptoribus, qui Cælum, Terras, Maria omnia permiscere sunt aggressi, ut veritatem sophismatum nodis torquerent, & quorum argumenta Georgius ipse per modum objectionis delevit, tamen cum novos errores attulerint, ne quis nobis obiicere possit hæc illustria verborum monumenta; specimen aliquod exhibendum censemus, eruditionis illius, qua hæc commenta exundant, ut quisque discere possit ab ungue Leonem.

Pater Rupertus Vulgatæ auctoritatem extollit, Georgiumque carpit, propterea quod Græcum Primigeniumque textum, Vulgatæ versioni apposuit, haud opposuit; at Theologus iste tergiversator fortassis non animadvertit vulgatam versionem, quo ad fidem & quod ad mores, tum a Georgio fuisse habitam, tum a nobis summo in pretio haberi; sed nec fidei, nec moribus obstare, si quis Criticum agens, Anemographicum puta, Hydrographicum, Geographicum, aut quemvis alium, Archetypo fonti hærendum ducat, vel ex eo deducat quidpiam, quod aut vulgatæ editionis textum illustret; aut variantem lectionem inducat, vulgatæ editionis lectioni, sin minus præferendam, non despicabilem tamen, immo vero nonnumquam exequandam. Data est facultas hæc Interpretibus universis, eamque commendat, fovet, augetque in dies Ecclesia universa. Ni ita sentiret, Interpretum lucubrationes, versiones omnes, codicesque propemodum universos, eliminandos curasset, vetuissetque ne aliquis Astronomum, vel Geographum ageret, sed quisque vulgatæ versionis verbo inhæreret: proinde Adriam pro Adria, Melitam pro Melita acciperet, neque enim Melitæ, neque Adriæ locum scire posset, si versionis nudum verbum pro Canone Geographico, vel Anemographico susciperet; idem per idem explicandum foret omnisque Interpretum labor inutilis, imo impius videretur.

Heterodoxis quoque favisse Georgium criminatur quod Philomaltensium miracula despicatui haberet. At quis adeo superstitione phanaticus ut Georgium negasse Miraculorum fidem affirmet, propterea quod Miraculorum characterem Maltensium prodigiis negavit? Summo itaque in pretio sit Vulgata versio; ex ipsa edíscamus quod credendum est, ut fides nostra sana sit; at Geographicas, aliasque non absimiles quæstiones, ut Pater Rupertus ventilare, & intelligere posset, Doctrinam quærere debebat, non ex Sacellis, neque ex Templorum Sanctuario per vim erutam, sed ex Textu Scripturæ probe intellecto, & ex Geographicis, & Criticis Auctoribus petitam.

Iste tamen accuratissimus zeloque inflammatus Scriptor, haud veritus est articulum potissimum Catholicæ fidei, cum testimonio Ptolemæi confundere, & inter tenebras hominis desipientis, & Sapientissimam

æterni

æterni Solis lucem comparationem instituere. Sic P. Rupertus „ Patres Concilii Nicæni, primi de Consubstantialitate Filii verbum fecerunt; Ergone ante ipsos Consubstantialitas Filii erit neganda? Sic „ & Ptolemæus, licet primus Adriæ fines prolataverit, haud tamen „ negari potest, Adriæ fines ante Ptolemæum eosdem fuisse. „

Hinc quisque colligere potest, ne quid gravius dicamus, quanta sint in hoc argumento miseranda. At idem P. Rupertus, qui Georgio succensuit ob Græcum textum, vulgatę versioni appositum, sic claudicavit.

Dat veniam Corvis, vexat censura columbas.

§. II.

CUM tamen aliquando Pater Carmelita dubitasset an aliquis ante Ptolemæum, Adriam extra Ceraunia Juga, & Japygiam acram prolataverit, tandem sibi visus est in (1) Aristotele Medusæum caput invenisse.

(1) Illa cœca, atque ridenda P. Ruperti, ex Aristotele argumentatio, basis & fundamentum est totius operis quod condidit. Sic Aristoteles. *Itaque primum quidem Oceanus dicitur sinum efficere duplicem ad dexteram intronavigantium per Herculeas columnas, nempe duas quas dicunt Syrtes, quasque majorem, & minorem appellant. At ex altera parte non ita Sinuosus, tria constituit Maria, Sardiniense & quod vocant Gallicum, & Adriam, ab his deinceps sequitur Siculum Mare porrectum in obliquum & Creticum post ipsum in Orientem.*

Sic deinde argumentatur P. Rupertus „ Quadringentis annis scripsit „ Aristoteles ante Divum Lucam, atqui Aristoteli non fuit Adria, Si- „ nus Adriaticus, ergo nec Divo Lucæ. Hinc Adriam Aristotelis, „ manibus pedibusque accomodat, inter Siciliam & Melitam Afri- „ canam.

O formosum hominis caput, dicere possemus. Divus Lucas sciebat se esse in Aristotelico Adria, qui inter Siciliam, & Africanam Melitam est, & tamen terram non agnoscebat?

Sciebat P. Rupertus se esse in Platea Divi Marci, & tamen Procuratorias ædes non agnoscebat?

Aristotelem explicare supervacaneum est, satis enim patet Maria ab ipso denominata fuisse, ab Insulis & Littoribus, quibus circumfundebantur. At P. Rupertus, in Codice fortassis, non a Columbo sed a Corvo aliquo, ex Australibus terris delato, Adriacam aliquam urbem in Siciliæ Meridionali parte, vel in Melita Africana, invenit, a qua Aristoteles Adriam ibi a Carmelita collocatum denominavit. Philosophi rerum caussas exquirere solent, at P. Rupertus somnia Geographice describit. Ejus tamen nodum ex araneæ filis contextum plumbeo gladio rescindemus.

Ne gratis aliquid asserere videamur, sumpto Circino, rem enucleatam præstabimus.

C 2 I. Ari-

I. Ariſtoteles in dextera parte collocat Syrtes Majorem, & Minorem, in ſiniſtra vero Mare Sardoum, Gallicum, Adriam, Siculum & Creticum.

II. Navigando itaque ab Herculeis columnis Orientem verſus, antequam ad primam Syrtim, quæ & Occidua eſt, & minor eſt, pervenire detur occurrit Promontorium hodie dictum *Capo Bona*.

III. Ab acra præfati Promontorii *Capo Bona* curſum ad Orientem continuando, Melita Africana quinquagenis mill. paſs. dextera proſpicitur; ita ut reſpectu directionis, quæ tenenda eſt ad Orientem, & reſpectu lineæ latitudinis, quæ ab occaſu in Orientem ſecat memoratum Promontorium, Africana Melita in eo Sinu ſita ſit, quem Minor Syrtis efficit. Promontorium enim jacet ad XXXVII. gradus Latitudinis in Septentriones, & Melita Africana ad XXXVI. uno ferme gradu recedens in Meridiem.

IV. Si Promontorium *Capo Bona*, quo clauditur Syrtis Minor ab Occidente, jacet in Sinu dextro Ariſtotelis, & ſi Africana Melita uno ferme gradu in Meridiem protenſa, clauditur eodem Promontorio, quomodo Mare Adriaticum, quod in Sinu ſiniſtro Ariſtotelis eſt, alluere poteſt Melitam Africanam quæ dextera eſt, quæ in Africa eſt, quæ Syrtim utramque ſpectat, & quæ præfato Promontorio *Capo Bona* clauditur ab Occidente? Eritne dexter gradus XXXVII. Latitudinis, Siniſter vero gradus XXXVI. Ab Occidente in Orientem navigantibus?

Reticere enim vero haud poſſumus, quin Patri Ruperto nos nimium morem geſſiſſe dicamus, pudeatque nimium detentos, & immoratos in hoc infirmiſſimo illius argumento. At hoc deleto integra duo, nec levis ponderis volumina, a P. Ruperto conſcripta prorſus concidunt.

Verum ſi ille optimus, ut ajunt, Hydrographus, cum de Anemographia, curſuque in Mari navigantibus tenendo, differit, mirum in modum nos delectat, & ſuavi quadam jucunditate animum noſtrum permulcet, ut riſu abſtinere nequeamus. En Patris Ruperti verba.
„ Aſpirante autem auſtro (quod ad varia Auſtralia extendi poteſt
„ exempli gratia ad Libonotum, hoc eſt Oſtrolebecchio, Oſtro Gar-
„ bino, Sud Sud V V &c.) aſpirante inquam auſtro æſtimantes, ait
„ Lucas, propoſitum ſe tenere, legebant Cretam. Non multum au-
„ tem poſt miſit ſe contra illam ventus Typhonicus, qui vocatur
„ Euroclidon (vulgata) Euroaquilo. Cumque arrepta eſſet Navis.
„ & non poſſet conari in ventum, data Nave flatibus ferebamur.

Sic P. Rupertus verbis Divi Lucæ, quem veneramur; at de Parentheſi illa, quæ tota Rupertiana eſt, aſſeritque Auſtrum ad varia Auſtralia extendi poſse, quidnam dicendum erit?

Auſtrum ad Auſtralia extendi poſſe haud negamus, Auſtrum tamen qui Cardinalis ventus eſt, quum ſolus nominatur, collateralibus ventis, haud permiſceri poſſe aſſerimus. D. Lucas qui *Corum & Africum* noverat, noſcebat etiam *Lybonotum & Euronotum*, at cum Auſtrum nominat, Auſtrum, qui Cardinalis ventus eſt intelligimus.

gimus. P. Rupertus, more suo, ineptit, nemo enim cui sana mens in corpore sano, haud dumtaxat scribere, verum etiam nec suspicari potest, Navim qua vehebatur Divus Lucas, *Cretam legendo*, navigasse ad Occasum flante Lybonoto, sive Ostrolebecchio; ejusmodi enim navigatio pugnat cum primis Nauticæ artis elementis.

Vehementiorem illum ventum, proinde P. R. asserit, innixus vulgata Sacrorum Bibliorum lectione, ab Aquilonaribus regionibus flantem. Nos Vulgatam lectionem veneramur, ventum tamen Aquilonarem fuisse, serio, fidenterque negamus. At si ventum Aquilonarem negamus, τὸ Euroaquilo Latini Interpretis quomodo explicabimus? Nodus hic facillime solvitur, omnisque Aquilonaris venti suspicio prorsus evanescit. I. Cretæ positio, Navisque directio Geometrica demostratione docent, minime fieri potuisse, ut vel ventus ille Aquilonaris esset vel Eurus, qui numquam Aquiloni collateralis dici potest, pro Euroaquilone interpretaretur: II. Latinus Interpres apposuit Euro Aquilonem, ut Euri tum ingruentis indolem exprimeret, id est Eurum cum impetu, instar Aquilonis vehementis, excitantis in Mari fluctus, quod ipsum significat εὐρακλύδων. Nos in quarta Exercitatione, Cretæ, positionem, ventum, Navisque qua vehebatur Divus Lucas directionem explicabimus, heic vero brevioribus verbis evincemus, ventum illum, ut videtur Clarissimo P. Ruperto, haud retudisse proram Navis, *ita ut in Austrum unde venerat reverti cogeretur*: quæ quidem Rupertiana verba Interprete indigent.

Hæc itaque statuimus. I. Flante Austro Navis qua vehebatur D. Lucas, necessitate coacta, cursum dirigere debebat ad Occasum Æquinotij. II. Necessitas qua cogebatur, patet ex ipsa Cretæ positione, quæ ab Oriente Æquinoctiali, in Æquinoctialem Occasum recta se profert, paullulum deflectens post dimidium Insulæ, ex parte Meridionali ad oram Occasus æstivi. III. Demonstrata Cretæ positione, spirante austro, Navique terram legente, non nisi in Occasum Navis vergere poterat. IV. Navis ex Austri flatu, ex positione Cretæ, ex necessario Navigationis cursu, proram in Occidentem intendens, retundi non poterat, Orientali vento, sive noster *Sirocco* sit, sive adversariorum *Greco Levante*.

P. Rupertus, ceteri Philomaltenses, & plerique Interpretum, advocabunt testimonium Vulgatæ.

Misit se contra illam. Nos testimonium veneramur, illudque explicabimus, directio enim Navis, positio Cretæ, ora a qua flat Auster, ipsa D. Lucæ verba, satis docebunt, haud esse discrepantiam in testimonio, quod impium esset dicere, sed errorem in testimonii explicatione.

Erravit igitur P. Rupertus, & quicumque cum illo asserunt, proram Navis juxta Cretam, & in Occasum recta vergentis Orientali vento, ut vel noster *Sirocco* est, vel Philomaltensium *Greco Levant.*, retundi potuisse.

Adest tamen alius jucundior istius Naucleri crassissimus error, ait quod Navis flatibus se committens, *in Austrum unde venerat, reverti coacta fuerit*. Ergo ne veniebat ab Austro Navis ex Australi Cretæ

portu egressa; legensque Cretam, quæ sese ab Oriente in Occidentem, profert? Ergo ne ab Austro veniens ad Aquilonares regiones proram dirigebat? Ita ne Pater Rupertus fidenter asserit? Navis quæ flante Austro, nullibi nisi ad Occidentem vergebat, ab Austro dicitur venisse in Aquilonem? Navis ex Australi Cræte portu egressa Cretam legens, Austro flante, in occidentem versa, secundis velis in Aquilonarem oram venire poterat? Quid unquam tam incongruum, tam rationi atque evidentiæ contrarium excogitari aut fingi potest, quod Rupertianæ argumentationi conferri possit? Norunt Lippi atque Tonsores, Navim ex Australi Cretæ portu egressam proram dirigere non posse ad Aquilonarem Regionem, nisi velit Gubernator in Littus illam impingere. Id quod de Paulina Navi P. Rupertus non affirmabit opinor, nisi velit constitisse tum in littore Cretenses expectantes cum bobus, curribus, & equis, ut per altissimos Cretæ montes, ipsam in Ægeum transducerent.

Statis hæc de P. Ruperto. Neque alicui mirum videatur, nos ipsum quasi a limine salutasse, quum ipse duorum voluminum mole desudans verbis, cavillationibusque, Lectores obruere studuerit. Omnis hujus Theologi vis sita est in illo Aristotelis testimonio, quod non intellexit, & in prora Navis ad Aquilonarem regionem directæ, quæ quidem opinio naturæ principia convellit.

§. III.

P Rupertus Adriam Africanum illum, quem sibi visus est vidisse in Aristotele, dividit a Sinu Adriatico; D. Ciantar (1) Sinum Adriaticum contendit idem esse cum Adria Africano. Ille ut Adriam in Africa probaret, Aristotelem naufragum, volentem nolentem inter Siciliam & Afromelitam duxit, ejusque genuina mente subversa, & undis obruta, eam in illo Mari sepeliri jussit, ut aliquando nomen Adriæ daret Mari, in quo Paulina Navis naufragio mergi debebat; hic (D. Ciantar) Adriæ Sinum, cum Sinu Jonio, Sinum Jonium cum Mari Jonio, Jonium cum Ausonio, Ausonium cum Siculo, Siculum cum Libyco Mari confundens, Adriam nostrum usque ad Afro Melitam personatum perducit, ibique tot Prothei figuris exutum, Adriæ nomine, quod nemo unquam fecerat, a Divo Luca usurpatum asserit.

(1) Apologistæ Philo-Maltenses, ut Adriam usque ad Africanum Melitam deducant, efficiantque calamo & atramento, quod nusquam fa-

ctum

ctum est, ab aliquo sane mentis Geographo, asserunt Adriaticum Sinum haud esse unum idemque cum Adria. Nos vero prorsus ignoramus, quonam in Apogæo latuerit Adria Africanus, a neotericis aliquibus novo figmento conflatus, cujus neque locum, neque etymon, neque monumentum aliquod invenire datum est. Miram profecto rem, & magnam veritatis vim, necesse est fateamur, quum enim de fabulosis, & commentitiis argumentis agitur, testimonia inter se convenientia haud facile proferri possunt.

Nova Ciantariana Hydrographia *Siculo Adriaticum* Mare nominat, & Divum Paulum, quem scripsit D. Lucas absolute in *Adria jactatum*, in Siculo Adriatico Mari naufragium passum esse contendit. In neoterica officina aliqua excusum Mare *Siculo Adriaticum* primum sub Ciantarianis auspiciis prodiit, nusquam enim apud Geographos, cujuscumque ætatis, chimæram hanc monstruosam memoratam legere datum est.

Curandum erat D. Ciantar, ut archetypi fontes ex Literaria Republica eliminarentur, ne veritas ab ipso obtenebrata, ullo modo constaret. Attulit ille ex interpretatione (ut ait) Prisciani seu Rhemnii Fanii versiculos quosdam Periegetis inversos, mutilatosque, ex quibus Adriam usque ad Africana Littora Syrtimque minorem perduxit.

Æquoris at Siculi, quod vastis funditur undis
Ad noton est portus Lybiæ, Syrtisque vadosa
Major, at ulterius si pergas, cerne minorem
Occiduam, juxta quam Meninx insula fulget
Et Cercina simul Lybica statione patentes
Adria quas penetrat &c.

Sic Philomaltensis Apologista fallacissimo calamo, contra honesti scriptoris fidem, lectorem conatur decipere.

Prisciani ne, vel Rhemny Fanij, vel Remi Favini, versio illa sit; multane in illam aliunde collecta interpres inseruerit, Criticis dijudicandum relinquimus. Quod ad nos attinet, contendimus fidenterque asserimus. 1. Versionem quam affert Apologista falsam esse, neque concordare cum Græca Periegesi Dionysii Characeni. 2. Ipsam Apologistæ reticentiam verborum, quæ post illud suum &c. sequuntur, Apologistæ adversari. D. Ciantar asserit ex illa sua fallacissima versione Insulas Cercinam, & Meningem ab Adria penetrari, quod ut Lectori persuasum faceret, nullis adhibitis punctis post illum versiculum: *Et Cercina simul Libyca statione patentes:* ubi perfecta distinctio, sive periodus erat notanda: scripsit. *Adria quas penetrat*, apposuitque &c., licet versiculus in quo Adriam Characenus memorat, discretiva conjunctione incipiat, diversamque toto cœlo ab antecedentibus rem edoceat.

Characenus post Continentis descriptionem Insulas enumerandas aggreditur. Sic ille vers. 447.

Ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἵληκοι. σὺ δή μοι Διὸς ἔννεπε Μοῦσα.
Νήσων πασάων . . . .

Verum hic quidem propitius esto tu autem mibi.
Jovis Musa
Insularum omnium Sacram viam, quæ in Mari

Ab hominibus habitantur . . . . . .

Deinde verſ. 467.

Trinacria autem poſt has ſuper ſolum Auſoniorum.
Extenta eſt . . . . .

Deinde verſ. 477.

Πρὸς δὲ νοτον Λιβυκός τε πόρος ϗ Σύρτιδος ἀρχὴ
Τῆς ἑτέρης, ἑτέρην δὲ ἂν ἴδοις προτέρωσε περήσας
Εσπερίην. τῆς πρόσθε δύω νησῖδες ἔασι
Μῆνιγξ ϗ Κέρκινα λιβυστικὸν ὅρμον ἔχουσαι . . .
Αλλ' ὁπότ' Αδειάδος σκαιὸν πόρον ἀμφιτρείτης
Εξελάσειας ἐπὶ νηὸς Ιηπυγίην ἐπὶ γαῖαν
Δήεις ὀφθίμου Διομήδεος . αὐτίκα νῆσον . . . . .

Ad Auſtrum autem, & Libycus meatus, & Syrtidis initium eſt
Alterius: alteram vero videas ulterius ubi trajeceris,
Occidentalem: quam ante duo parvæ inſulæ ſunt,
Meninx & Cercina Libycum portum habentes.
Verum quum Adriatici ſiniſtrum alveum Maris
Intraveris in navi, Japygiam in terram
Invenies fortis Diomedis confeſtim inſulam . . . . .

Hæc deſumpta ſunt ex editione Characeni facta Oxoniæ e Theatro Scheldoniano MDCCX., quæ ad unguem concordat cum editione Lutetiæ ex officina Rob. Steph. & Abele Mathæo Juriſconſulto Interprete. Qui vero vel primis Græce Linguæ elementis ſtuduit, marte proprio, accuratam verſionis fidem poteſt cognoſcere.

Proinde Meridiana luce clarius patet Characenum nunquam deſipuiſse, ut Adriam ad Africanam Melitam perduceret. Enimvero quum de Sicilia ejuſque promontoriis, & de duabus inſulis Meninge & Cercina loqui deſinit, de inſula Diomedis, quæ in medio Sinu Adriæ eſt (hodie *Tremiti*) ſermonem inſtituit, eamque docet lævam eſſe ingredienti Adriaticum Alveum.

Integra diſtinctio, ſive periodus eſt, poſt verſiculum in quo Meningem & Cercinam memorat, proinde ut perſpectum eſt ſequitur.

Αλλ' οποτ' Αδειαδος . . . . .

At cum Adriaci . . . . .

Ignoramus profecto, quonam modo illud *at cum*, quod diſcretivum eſt, referri poſſit ad Meningem & Cercinam, quæ juxta oram Africanam jacent, quum Characenus de Inſula Diomedis quæ in Sinu noſtro Adriatico eſt, apertiſſime diſſerat. Priſcianeam verſionem, ut eam affert Apologiſta erroneam, vitioſam, & falſam eſſe ſtrenue fidenterque aſſerimus. D. Ciantar tamen quadratum in circulo ſe inveniſſe ratus, inſultat Georgio in Diſſert. V., ejuſque fidem incuſat ex non allato, tam falſo Characeni teſtimonio.

Nobis res eſt cum ejuſmodi Scriptoribus, qui neque veritatem norunt in iis quæ ipſi ſcribunt, neque errores dignoſcunt in iis que ab aliis accipiunt.

Sed ne imperioſi nimis videamur, qui Priſcianum tam fidenter incutamus; unius literæ ſubtractione, ex negligentia forſan in Priſcianeam verſio-

versionem invectæ, Prisciani famæ consulimus. Apposita enim integra distinctione post τὸ *patentes*, & legendo.

Adria qua penetrat venias si parte sinistra
Atque legas Calabrum littus; tunc Insula magni
Ostendet sese Diomedis nomine dicta.

Characeni textum, & Prisciani versionem lectioni geminæ restituimus. Apologista quippe, qui apposuit &c. ad illud suum *Adria quas penetrat*, addere debebat & sequentia quæ attulimus verba, & proinde puerum aliquem consulere; qui in primis Grammaticæ rudimentis versatur, ut ab eo edisceret τὸ *quas* minime legi posse, sed *qua* legi debere.

Extant quidem aliqua Priscianeæ versionis exemplaria, quæ Ciantarianum errorem præseferunt. At ratio ipsa vel pueros docet ejusmodi errorem Librariorum incuriæ esse tribuendum. Breviores D. Ciantar Dissertationes efficere poterat, dummodo accuratiori calamo & fide scribere voluisset.

Specimen tamen aliquod Ciantarianæ eruditionis ut benevolus lector habere possit, obviam pauca depromenda esse censemus, quibus perspectis nos a malefidi Scriptoris ingenti illo volumine expediemus: pugnare enim possumus in Scriptorum argumenta, at operæ pretium haud ducimus cum iis decertare qui falsis Scriptorum testimoniis, falsa dicunt, & fallacibus armis concurrunt.

Melius sibi consuluisset D. Ciantar, si archetypum Characeni fontem, cum falsa versione contulisset, neque inopportunum Græcistam agendo, Georgium incusasset ob πορθμοῖ Apollonii Rhodii redditum *freti*. Apologista quippe asserit melius reddi *Trajectus*, quum πορθμος derivetur, ut ait, a verbo περῶ, quod est transeo. At quis eum docuit, vocabulum πορθμος derivari a verbo περῶ? anne verbum πορθμεύω quod est transfretare, idem est cum verbo περῶ quod est, absolute transire? a primo enim derivatur πορθμὸς quod est fretum a secundo πόρος quod est *transitus* sive *Trajectus*.

At si malefido calamo usus est D. Ciantar in Characeni testimonio afferrendo, versutam explicationem adhibuit, in elucidando M. Annæo Lucano lib. 4. vers. 405.

Illic bellaci confisus gente Curetum
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto.
. . . .

Heic Philomaltensis Propugnator, ex sententia ut ait, doctissimi Omniboni (quem nos sic sentientem, Omninobonum terque quaterque bonum vocabimus) asserit de Cretensibus auxiliaribus loqui Lucanum, & proinde ex hoc Poetæ loco, Cretam in Adria collocat.

Quod quidem quantum a mente Lucani absit paucis videamus.

Docet Florus Historiarum lib. 4. *aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum* . . . .; quem Flori locum sic carmine exposuit Lucanus. Lib. 4. vers. 401., quatuor enim antecedentes versus, qui subsequentes explicant, D. Ciantar versuto silentio reticere satius duxit.

Non

Non eadem belli totum fortuna per orbem
Constitit: in partes aliquid sed Cæsaris ausa est
Qua Maris Adriaci longas ferit unda Salonas
Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader.
Illic bellaci confisus gente Curetum
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto.

Si igitur Salona (*Spalatro*) & Jader (*Zara*) in sinu nostro Adriatico, τὸ *Illic* Lucani intelligendum est in eodem loco. At si Lucanus cecinit res gestas in Sinu Adriatico, quid quærendi sunt Curetes ex Creta, cum eos domi habeamus, cumque de illis Lucanus senserit?

Hugo Grotius in notis ad Lucanum asserit omnino cum MSS. legendum esse *Curictum*, haud vero *Curetum*; insula enim quæ Adriaco dicitur circumflua ponto, hodie vocatur *Vegia*, Plinio *Curicta*. Ceterum haud desunt probatissimi Scriptores, qui Croatiam, vocant Curetiam, docentque populos qui nunc dicuntur *Chroatæ* olim dictos *Curetes*.

Ut clavum clavo objiceret D. Ciantar singulos ex Auctoribus, quos Georgius noster advocavit, in Georgium retorquere conatus est. At Afromelitensis Propugnator vitreum clavum adamantino clavo objecit.

. . . . *late vastavit olivas.*
Intactas laurus linquere cura fuit.

In Dissertatione octava D. Ciantar asserit, testante *Appiano*, Insulares Melitæ nostræ Illyricæ, tum eos *qui nondum pubertatis annos attigerant*, tum qui excesserant ab Augusto fuisse sublatos, ita ut Insula illa penitus accolis destituta fuerit, cum D. Paulus naufragium passus est, & deserta usque ad Costantini Porphyrogeniti tempora permanserit.

Profert D. Ciantar Appiani textum de Bello Illyrico. „ Deficientes „ vero Melitinos & Corcyræos, qui insulas incolunt, ingenti belli „ mole superavit quoniam Maria classe prædabantur, & horum quidem impuberes Cæsar jussit interfici, reliquos venundedit.

Quæ quidem Appiani versio extat in aliquibus codicibus, qui sine textu Græco impune toto orbi mentiuntur, & *Impuberes* præseferunt cum *puberes* Appianus & intellexerit, & scripserit. Integrum Appiani Illyricum tractatum legimus in editione Davidis Hœschelii, & in Codice Vaticano, ex quo nobis contigit hunc Appiani textum excerptum habere, cura & officio *P. Petri Lazari ex Soc. Jes.* cujus eruditi eximiique viri erga Remp. Litterar. merita, neminem latent. Illum nos honoris gratia nominamus, beneficiorum enim quæ ipse in nos contulit a primis pubescentis ævi annis, cum Ragusii Rhetoricam docentem audire contigit, tanta est copia tamque animo nostro adhæsit illius memoria, ut nisi rependere possimus, liceat saltem palam fateri Οἱ ὅμοροι προσέθεντο αὐτῷ καταπλαγέντες Ἰππασῖνοί τε καὶ Βέσσα. ἑτέρους δὲ αὐτῶν ἀποστάντας Μελιτηνοὺς, καὶ κορκυρηνοὺς. οἱ νήσους ᾤκουν ἀνέστησεν ἄρδην, ὅτι ἐλῄστευον τὴν θάλασσαν. καὶ τοὺς μὲν ἡβῶντας αὐτῶν ἔκτεινε, τοὺς δ' ἄλλους ἀπέδοτο... Cod. Græcus Palatino: vat. 390. p. 41.

Quem Appiani Græcum textum sic latine reddimus. *Finitimi metu consternati. Ippasini scilicet & Ressi se illi adjecere. Deficientes vero Melitensos.*

ses & Corcyræos, qui insulas incolunt omnino delevit, propterea quod Mare latrociniis infestum habebant & horum quidem puberes interfecit, ceteros vero venundedit.

Cum Vaticano vero Codice concordat Appiani versio Anglica.

The History of Appian of Alexandria
Made English by I. D. . . . .
London. Printed for Iohn Amery, at the
Peacock, agajnst S. Dunstans Church
In Fleet Street 1690.

„ VVherefore Cæsar put to the fvvord, all he took above four-
„ teen years of age, and sold the rest at outcry . . . .:
Quod sic ad verbum pene reddimus.

„ Quamobrem Cæsar gladio interfecit omnes quos ceperat supra
„ decimum quartum annum ætatis, & vendidit cæteros sub hasta.

Hinc patet *puberes* haud vero *impuberes* fuisse interfectos; deletis enim Melitensibus & Corciræis prædonibus, qui Mare latrociniis infestum habebant, haud censendum est Cæsaris Victoris gloriam, crudelitatis inhumana barbarie diminutam, qui in tenerum innocentemque puerorum sanguinem, in viduas, virginesque fævas manus inferri jusserit. Neque nobis per incongruas fictasque interpretationes licet historiam Appiani torquere, ut deletis Melitensibus prædonibus, ipsam Melitam flammis ferroque devastatam, incolis desertam expoliatamque affirmemus; neque Melitenses & Corciræi prædones deleti, prædia quoque illorum eversa, domus dirutas, insulas quas incolebant, vastatas, depopulatasque indicant, vel indicare possunt.

Nova hæc Ciantariana commenta, nullis Historicorum testimoniis, documento nullo fulciuntur. Porphyrogeniti auctoritatem advocavit, ut Melitam nostram ab Augusti Cæsaris temporibus, usque ad ejus tempora incolis destitutam probaret. At D. Ciantar Scriptorum testimonia vel mutilare vel invertere edoctus, Porfirogenitum quoque infido calamo calumniatus est. Clarissimus ille Imperator cap. XXIX. scripsit, habitatoribus vacuam Insulam *Meletam*, quam hodie *Melada* vocamus, & que inter insulas occidentales Dalmatiæ jacet; numquam vero Melitam nostram Illyricam, vel desertam vel habitatoribus destitutam dixit, ut contra veritatis evidentiam D. Ciantar affirmavit. Porphyrogenitus cap. XXXVI. Insulas *Meletam* (quæ nostra est) *Curcuram*, *Bartzum*, & *Pharum*, omnes pulcherrimas fertilissimasque vocat; quin etiam eodem loco, *Meletam nostram* asserit a Divo Luca in Actis Apostolorum nominatam, & *Melitem vocat, ubi & serpens D. Pauli digitum mordens ab eo excussus, igne coflagravit*. Quid itaque sentiendum est de D. Ciantar, qui falsa Appiani versione, usus est, quive ut Melitam nostram Divi Pauli temporibus, incolis destitutam probaret, Porphyrogeniti testimonium advocavit, quum iste Clarissimus Imperator apertissimis verbis haud dumtaxat illam vocet pulcherrimam fertilissimamque, verum etiam in Actis Apostolorum nominatam Melitemque vocatam affirmet, & Divum Paulum ab ea exceptum doceat? Ea est Afromelitensium Propugnatorum fides, ea diligentia, ut mutilatos, inversos, falsosque Scripto-

rum

rum textus depromant, & fingant; ut infido calamo decertent, ut fabulis & commentis veritatem obtenebrent. Cum ejusmodi itaque novatoribus pugnare, nec juvat, nec decet; illi enim voluminum mole, verborum copia confisi, in eo toti sunt, ut Apologeticas Dissertationes confecisse videantur, ut in obsequium Afromelitæ scribant, ut incautos decipiant, & tandem ut universalibus præjudiciis fulciti, prima Geographiæ elementa evertant. Si inscii erant, ignoscimus, si vero ex consulto, miramur.

EXERCITATIO IV.



Ipsa Divi Lucæ navigatio, Adriam suis finibus & Euroclidonem suæ divisioni dabit restitutos. Sacer Historiographus in Actibus Apostolorum cap. XXVII. sic habet.

Vers. 7. *Subnavigantes Cretæ juxta Salomonem.*

Vers. 8. *Et vix juxta navigantes venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus, cui juxta erat Civitas Thalassa.*

Pro *Thalassa*, quam Vulgata præsefert, Græca habet λασαία, quam nos *Jera-petram* usque in hodiernum diem vocatam censemus, illa enim refertur ad λᾶς Græce *petra*, vel *lapis*.

Vers. 12. *Et cum aptus portus non esset adhiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde si quomodo possent devenientes Phænicem hiemare, portum Cretæ respicientem ad Africum & Corum....*

Qui fuerit portus ille Phænicis ardua profecto res esset, vaticinari. Philomaltenses statuunt Phænicem, qua parte hodie *Sfacchia* jacet. At quid in Sfacchia Phœnicem quærimus, quum ex parte orientali *Castri Selini* usque ad hæc nostra tempora stet locus, quem vocant *Fenice* & quæ Claudam & Anticlaudam (Gozzo & Antigozzo) recta ad Africum, & respectu Promontorii quo Creta in occidentem terminatur; oblique respicit ad Corum. Hoc de Sfacchia minime (nisi subverso Cretæ cardine) demonstrari potest. Quod nisi de *Fenice*, quam nos dicimus, Divum Historiographum locutum intelligamus portum illum respicientem *Africum & Corum*, impossibile erit invenire; quod vero impossibile sit, rationem damus.

1. Creta ab Oriente æquinoctiali, se profert recta in occidentem.

2. Corus Cretam oblique spectat, ex parte illa quæ ad Septentriones inclinatur; quommodo igitur portus in australi parte corum respicit?

3. Creta ad Occidentalem partem, a recta directione paullulum deflectit ad Corum; at cum Sfacchia haud sit in ea Insulæ parte quæ inclinatur ad Corum, cumque claudatur promontorio sive acra occidentali, quæ portum efficit in austrum versa, nullibi Corum spectare potest portus, qui clauditur arca occidentali austrum respiciente.

4. Feni-

4. Phenices quam nos dicimus, cum in illa australi parte sit, quæ paulatim ad Corum deflectit, cumque nulla occidentali acra claudatur; nullus dubitandi locus supereſt quin eam ipſam a Divo Luca memoratam eſſe ſerio teneamus.

5. De hac Cretæ poſitione fidenter loquimur; teſtes enim ſumus ex viſu, haud vero vel ex auditu vel ex inſpectione Tabularum, quæ Cretæ delineationem exhibent.

Sequitur Sacer Hiſtoriographus.

Verſ. 13. *Aſpirante autem auſtro exiſtimantes propoſitum ſe tenere, cum ſuſtuliſſent de Aſſon legebant Cretam.*

Philomaltenſes, inter quos D. Ciantar, ſtatuunt Phenicem, qua parte Sfacchiam jacere docuimus, *Aſſon* vero in medio Cretæ qua ſpectat auſtrum, inter inſulam parvam hodie vocatam *Cabra*, & acram dictam *Aquuſa*; at non docent, quandonam illuc D. Lucas pervenerit, qui tantum, ait, eos veniſſe in locum quemdam, qui vocatur *Boni-portus*. In hoc non levi nodo, viſum eſt multis doctis viris illud Græce ſcriptum ἆσσον *prope* reddere; ſic enim ipſa quæ ſequuntur verba poſtulare videntur & ſintaxis tuta, & oratio fluida efficitur ſcribendo *cum ſuſtuliſſent*, prope *legebant Cretam*.

Sequitur Sacer Hiſtoriographus.

Verſ. 14. *Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus qui vocatur Euro-aquilo*.

Sic in vulgata legimus, Græca vero habet Εὐροκλύδων, quæ vox tota Græca eſt.

Hugo Grotius, docet Εὐρακύλων deſciviſſe in Εὐροκλύδων ex Librariorum negligentia. Res quidem auctore tam clari nominis haud digna eſt; quis enim inficiari poteſt in diſquirenda autographi veritate, linguæ non modo favendum, ſed ſtandum eſſe? Quod Græce ſcriptum eſt Græce legi debet, neque licet in Codice Græco corrigendo latinam vocem per vim intrudere, ut eſt *Aquilo* cum Græce legi poſſit *Euroclidon*.

Romani Civitate Eurum donaverant, ita ut Eurus Græcus apud Romanos Scriptores paſſim reperiatur; ſed apud Græcos Aquilo Civitatem haud obtinuerat, ut ille Romanus Euro Græco permiſceri poſſet, & Græcus Scriptor verbum Romano Græcum conflaret.

Typhonicum ventum, qui quemlibet procelloſum ventum ſignificare poteſt, Divus Lucas ſpeciali nomine indigitat, ſcribendo Εὐροκλύδων; ibi enim κλύδων Typhonico conſonat, nempe fluctibus æſtuanti, quod proprium eſt Euri (*Sirocco*) qui ex aperto, atque alto Mari veniens ingentes fluctus volvit cietque; ſecus autem Aquilo, qui ventum ex duplici vento conflatum reddit, ejus vero χαρακτῆρα non explicat. Εὖρος reſpondet vento; κλύδων vero Typhonico, ita ut in Euroclidone & ventus, & ejus χαρακτήρ explicetur. Quod ſi Vulgata pro Euroclidone, habet Euroaquilonem, id factum eſt, ut furor Euri exprimi poſſet, qui Aquiloni aſſimilatus, haud vero per Aquilonem explicatus a Vulgata videtur.

Illud vero: *Miſit ſe contra ipſam*, Philomaltenſes & multi Interpretum explicant contra navim, vel contra proram Navis. At huc

uſque

usque quonam loco Divus Lucas navim nominavit, ut τὸ ipsam vel κατ' αὐτῆς ad navim referri possit?

Ultima vox substantiva a Divo Luca usurpata, est τὸ *legebant Cretam*, & ad Cretam referri debet τὸ *contra ipsam*: sic enim suadet Latina sintaxis. Græca vero lectio tota a nobis stat.

Divus Historiographus, in illa tempestatis, & naufragij clara brevique narratione, sæpe Navim nominat vocabuloque utitur generis neutrius τὸ πλοῖον, quod Latine redditur *Navigium*. Si itaque κατ' αὐτῆς, ad πλοῖον referre voluisset, dicendum foret fœmininum cum neutro a Sacro Historiographo fuisse concordatum. Cum vero de Creta intelligimus, κατ' αὐτῆς ad κρήτην fœminini generis, paullo ante nominatam apprime refertur.

Ultro fatemur a D. Luca Cap. XXVII. Vers. 41. Navim nominari ἡ ναῦς, at hoc una tantum vice factum legimus, eoque loco, qui maxime distat a controverso. Illud κατ' αὐτῆς legimus in Vers. 14. at in

Vers. 15. συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου
Vers. 17. ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον
Vers. 19. τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου
Vers. 22. πλὴν τοῦ πλοίου
Vers. 37. ἐν τῷ πλοίῳ
Vers. 38. τὸ πλοῖον
Vers. 39. τὸ πλοῖον
Vers. 41. τὴν ναῦν

Videat itaque unusquisque, an præterlapsis tot versiculis, in quibus D. Lucas τὸ πλοῖον generis neutrius nominat, versiculum 14, cum versiculo 41. potius, quam cum 15. Vers. 19. 22. 37. 38. 39., sine maxima Divi Historiographi injuria possit concordare.

Sequitur Sacer Historigraphus.

Vers. 15. συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου. *Cumque arrepta esset Navis, & non posset conari in ventum, data Nave flatibus ferebamur.*

Græca habet ἐπιδόντες id est *concedentes* ferebamur.

Spirante Austro legebant Cretam, ex quo hæc duo evincimus. 1. Ex positione, & directione oræ Cretensis, qua spectat Austrum, proram Navis recta ad Occasum Æquinoctij fuisse versam: 2. Quod maxime animadvertendum esse censemus Navim haud procul a terra navigasse, *legere* enim Cretam non est altum tenere Maris Cretici.

Exorto itaque, vel contra ipsam se mittente vento Typhonico, τὸ ipsam diximus intelligi Cretam, quod sic evincimus.

I. Intelligi nequaquam potest directe contra Navim, quæ cum proram non nisi ad Occasum directam habere posset, in ea in qua erat itineris necessitate; ejus prora obtundi non poterat vento, qui vel Euro-Aquilo, vel Euroclidon esset.

II. Prora directa ad Occasum (*a Ponente*) haud potest sibi dicere contrarium ventum *Greco Levante* ut Philomaltenses vaticinantur, vel *Sirocco* ut nos evincimus: uterque enim ex his a tergo Navim impulisset: *Greco Levante*, dimidia venti divisione, in latus flexus, & *Sirocco* integra divisione a tergo obliquus; ita ut hoc vel illo flante

te recta in Occidentem Navis vergere posset, in cujus assertionis nostræ testimonium, evidentiam ipsam advocamus.

III. Cum *τὸ contra ipsam*, repugnante evidentia intelligi non possit contra proram Navis, ex ipsa evidentia ventum contra Cretam fuisse affirmamus.

Quo posito, atque concesso (negari enim haud potest) expendamus ventos, qui contra Cretam se mittere poterant, in illam Cretæ partem quæ Austrum spectat, quamque Divi Lucæ sive Divi Pauli Navis legebat. Exposcimus vero a benevolo Lectore, ut omnem objiciendi animum cohibeat, donec absolutam confectamque explicationem, objectionesque purgatas exhibeamus.

Venti qui ex Australis parte, contra Cretam se mittere poterant, sunt, vel Eurus (*Sirocco*) vel Notus (*Ostro*), (vel Lib.) (*Lebecchio*) : Cardinales & Principales ventos intelligimus, collaterales vero, ipsorum lateri adjacentes, absque peculiari nomenclatione, vel silentio ipso indicamus. Eurum vero apud antiquos Scriptores, vel qui D. Lucam antecesserunt, vel ejus ætate scripserunt, satis patet eundem fuisse qui hodie *Sirocco* dicitur. Hoc eruditissime docuit noster Georgius. auctoritate Aristotelis, Thimosthenis, Agatemeri, Vitruvij, Varronis, Strabonis, Senecæ, Columellæ & ipsius Plini, qui Græcos Latinosque se secutum esse profitetur.

Philomaltenses *Homerum* advocant, qui quatuor dumtaxat ventos, eosque Cardinales, in quatuor Mundi plagis statuit, at D. Lucas *Africum* & *Corum* nominat, qui in nudo Homeri pinace haud nominantur, ergo Homerum non est secutus.

Proinde ad *Favorinum* confugiunt, qui inter pocula de ventis blateravit, neque seipsum intellexit quum *Corum* adversus *Aquilonem*, deinde adversus Eurum statueret. Ebrii, & Bilinguis Auctoris testimonium in Popinis propinantibus damus. Neque Divum Lucam primi Sæculi Scriptorem, secutum fuisse Favorinum, qui secundo Sæculo vixit, aliquis affirmare poterit, nisi fortassis Favorino propinanti plaudere didicerit.

Sed ex enumeratis, *Euro*, *Noto*, & *Liba*, videamus quisnam ille fuerit, cui Paulina Navis concessit.

Creta, ut & alibi docuimus, ab Oriente Æquinoctiali vergit recta in Occidente Æquinoctii, usque ad dimidiam insulæ partem, qua versa est ad Austrum. A dimidia parte usque ad Criumetopon (capo S. Giovanni) paullatim inclinata deflectit ad quartam divisionis partem, quæ inter Æquinoctialem Occasum est, nempe (a Ponente una quarta al Maestro VV. B. N.)

Spirante itaque levi Austro, Navis Paulina non nisi in Occidentem se derigere poterat, ut Phenicis portum attingeret, qui in Occidentali Cretæ parte Austrum spectante, jacebat. Licet vel Auster sit contra Cretam, tamen cum levis esset, in illum Navis conari poterat absque periculo in terram decidendi : conari vero dicitur, *Andare di Borina*, & in terram decidere, *Sottoventarsi*. Auster ergo haud fuit ventus ille Typhonicus. Libamne vel Africum fuisse dicemus?

dicemus? At neque Eurus Africo permisceri potest, neque Navis excurrere potuisset in Insulam Claudam, quæ Occidentalis est; ut aperte demonstrabimus: Africo enim flante, Navis quæ Cretam *legebat*, nullibi in Occidentem vergere potuisse.

Eurus itaque ex necessaria consequentia fuit ventus ille, qui misit se contra Cretam; nempe *Sirocco*.

Experientia quippe docet, ventum ab Austro sive Noto, gradato pinacis Ordine transire ad Eurum, unica divisione venti trasmissa, ad Aquilonem vero, duplicem divisionem cum dimidia, saltare quodammodo debuisset. At nec integra divisione intercurrente, ventus vento collateralis est, neque ventus ex Euro & Aquilone, nisi monstrosa conjunctione conflari potest, neque quod potissimum est contra Cretæ Australe littus, flare dicitur vel dici potest *Greco Levante*, qui ab Oriente per Cretam descendit.

Licet vero alicui mirum videri possit, Navim Paulinam cum in Occidentem vergeret, & Occidentali Cretæ portu potiri conaretur, Austro flante Navigasse, exorto vero Euro, sive Sirocco, qui a puppi in latus flexus secundis velis Navim, impulisset, tempestate jactatam omnem assequendi portus spem amisisse, tamen paucis perpensis enucleatam rem, quæstionemque omni nodo solutam dabimus.

Flante levi Austro Navis terram legebat in Occidentem vergens, ut Phenicis portum obtineret, quem ad hiemandum comoda statione patere, ex ipsis D. Lucæ verbis colligimus.

Navi itaque in Occidentem vergenti, & prope terram naviganti, ventus quem Philomaltenses statuunt & *Greco Levante* nominant, adeo secundus, adeo propitius spirasset, ut nautæ nihil, quod magis optare possent haberent, eo enim uti potuissent absque periculo incidendi in Syrtes, sive in Vadosa loca Littori proxima; ventus quippe qui per oram Cretæ descendit in eadem Littora Navim haud impellit, & Nautæ apertum sinistri Maris excursum habentes, tuta navigatione ad Phenicis portum accessissent. Flante vero Euroclidone, sive *Sirocco*, qui procellosus est, & exprimit ventum Typhonicum, Navis quæ Cretæ littora legebat, obliquo vento latus ejus impellente, statim vento concessit, ne in littus delaberetur. Tunc vero concessisse dicitur, quum impellentibus undis, & increbrescente vento, occidentem versus quo tendebat, nolens volensque iter direxit, relicta amissaque spe portum attingendi. Ut autem portum obtinere posset, qui Africum & Corum respiciebat, in ventum conari debebat, nempe per flexus deflexusque, acras quibus portus claudebatur superare. Si enim fauces respiciunt Africum & Corum, Alveus sive centrum portus, ut recta Occidentem spectet est necesse, at si Occidentem spectabat, ergo ingressus nullibi dari poterat, nisi prora in Orientem directa, prora vero in Orientem minime dirigi, poterat, nisi faucibus superatis, fauces vero superare, & portum ingredi non dabatur, nisi leni vento, & quieto mari navigassent.

In ventum Navis tunc conari potuisset, cum inflexo cursu, absque periculo in terram decidendi, quod est (*Sottoventarsi*) neque venti furorem, neque fluctuum impetum metuisset.

Eluci-

Elucidatur itaque explicatio nostra ab ipso cursu, quem Paulina Navis tenebat. Prora enim ad Occidentem directa, æstuantibus undis, furente vento, haudquaquam Navis in ventum conari poterat, conari vero in ventum intelligimus, ut intelligendum est, per flexus, & deflexus navigare, quod vulgo dicimus, *bordeggiare*. Falso itaque docent quicumque docent, ventum fuisse recta, & ex adverso contra proram Navis, quam cum Orientalis ventus esset, vel recta a tergo sive puppi, vel oblique ad primum puppis latus impulisset.

Falso docent, ventum illum fuisse *Greco Levante*, qui neque fluctus ciere potest juxta littora Cretæ, neque Navim in eadem littora impellere, neque contra Cretam flare, cum ab Oriente per Cretam descendat.

Nihil nobis objici posse censemus ab iis, qui positionem Cretæ norunt ab Oriente in Occidentem. Flante enim Austro, non nisi in Occidentem Paulina Navis cursum dirigere poterat, si cursus, & prora in Occidentem, haud profecto contra ipsam ventus ille Typhonicus qui erat Orientalis, si haud contra proram, ergo ex necessaria, & evidenti consequentia contra Cretam, si vero contra Cretam, Euroclidon ille, quem Vulgata exprimit aquillonari furori similem, Eurus, nempe *Sirocco* fuit, qui cum Australis sit, Cretam impetit.

Enimvero τὸ *contra ipsam* intelligi debet *contra Cretam*, ut ex ipsa Syntaxi patet; ut Cretæ positio docet; ut directio Navis Paulinæ evincit. Quod si omnis alia explicatio, cum primis Hydrographici, & Anemographici Orbis principiis pugnat, & si contra Cretam, ut intelligendum est, ventum illum se jecisse intelligimus, Eurum sive *Sirocco* fuisse, velint nolint Philomaltenses, necesse est fateantur. Exorto itaque Euro illo æstuanti, & procelloso, cui Navis concessit, superato Criumetopon recta Adriatici nostri fauces, volens nolensque petere debebat.

Nunc iis quæ potissimum nobis objici possunt ultro occurrimus.

I. Aliquis dicet nostram hanc methodum, qua τὸ *contra ipsam* explicamus, Eruditissimorum hominum, Doctissimorumque Interpretum explicationi adversari.

II. κατ᾽ αὐτῆς Contra Cretam explicatum redolere videbitur quamdam novitatem, vi Grammatica expressam, omnes enim venti, haud solum ille Typhonicus, contra Cretam spirare dici possunt.

Ac primum nos aliorum interpretationem summo obsequio prosequimur, & veneramur, eos tamen qui afferunt, ventum illum recta, & ex adverso proram Navis retudisse, fidenter reijcimus. Argumenta, rationesque jam allatas, si hic iterum transcriberemus, molestam lectori Palinodiam & pro nostra opinione incongruam exhibere videremur. Accidit nobis in versione Gallica Actuum Apostolorum, a *Carierio Presbyt. Oratorij* edita legere, illud contra ipsam, redditum contre *l' isle* id est contra Insulam, at idem Scriptor, dum ventum contra Insulam recte indigitat, cum Philomaltensibus claudicavit, scripsitque nomen venti esse E. N. E. id est Græco Levante, quomodo vero laudatus Scriptor contradictorio calamo usus sit, miramur, nusquam enim contra Insulam flare dici potest E. N. E., sive Greco Levante qui per Insulam descendit, imo a littore Insulæ flare videtur. Omnis

nis itaque controversia de vento illo Typhonico, & de Euroquilone Vulgatæ evanescit, statim ac τὸ *contra ipsam*, ut Syntaxis Græca, atque Latina exposcit, contra Insulam Cretæ intelligimus.

Nunc vero ad objectionem veniamus, quæ asserit quemlibet ventum spirare contra Cretam. Hoc nos fidenter negamus: aliud enim est quod dicitur *contra* respectu directionis, aliud respectu positionis. Exempli gratia: Ventus ab Oriente Æquinoctii contrarius esset Navi in Orientem vergenti, respectu suæ directionis, nullibi tamen diceretur spirare contra Cretam respectu suæ positionis, quæ ab Oriente in Occidentem protenditur, & ventus ille diceretur per totam Cretæ longitudine descendere, haud vero contra Cretam flare.

In hac Anemographica Area, Anemographi accuratiores consulendi sunt, qui non solum theorica meditatione, verum etiam practica inspectione facem aliis prætulerunt.

Inter hos *Gullielmus Dampier*, in Tractatu quem de ventis conscripsit, apertissime docet, ventos aliquando flare, *recta in oram*, aliquando *juxta*, *& deorsum per oram*, aliquando *oblique*, aliquando *angulum acutum efficere*: quæ omnia ad positionem Regionum referuntur.

Sic ille Cap. 2. . . . . . . Or vvhether they are Shifting vvinds, do never Blovv right in on the Shoar, non right along Shoar, But goslanting Making an acute angle.

Cap. IV. Land Breezez are as remarkable as any VVind that I' have yet treated of: they are quite contrary to the sea Breezez, forthose Blovv right from the Shoare, but the sea Breezes right in upon the Shoare.

Quæ nos sic reddimus. „ Sive sint variabiles Venti, nunquam „ flant recta in oram, nec recta secus oram, sed obliqui augulum „ acutum efficiunt.

„ Venti quos e terra flare dicimus, atque noti sunt, ac quivis „ alius ventus de quo hactenus egimus, ipsi absolute sunt contrarii „ ventis flantibus a Mari, propterea quod recta ab ora flant, venti vero a Mari recta in oram.

Omnes itaque ventos, qui ex alto Maris flant recta in oram flare asserit laudatus Scriptor, quod vel nos asserimus de Euroclidone nempe de *Sirocco*, qui respectu Cretæ, ex alto Maris & ex aperto æquore contra illam spirat. Sed de *Greco Levante* Philomalthensium, hoc nullibi dici potest, qui per oram Cretæ, quæ ad Austrum est descendens inter ventos qui ab ora, vel secus oram, haud vero inter illos, qui ab alto & aperto Mari contra oram spirant, recensetur.

Nos itaque in Nautica, & Anemographica quæstione Nautas, & Anemographos consulimus, quorum auctoritate, atque experientia nitimur, quosque a nobis stare fidenter affirmamus.

Sed sequamur D. Lucæ narrationem.

Vers. 16. *In Insulam autem quamdam decurrentes quæ vocatur Clauda, potuimus vix obtinere scapham.*

Vers. 17. *Qua sublata adjuteriis utebantur, accingentes Navim, timentes ne in Syrtim inciderent, submisso vase sic ferebamur.*

Sublata itaque scapha usi sunt adjutoriis, accingentes Navim. Adjuto-

jutoria vero quibus utebantur antiqui erant plures tabulæ ad instar lati gubernaculi in unum compactæ, quas a lateribus demittebant, accingentes Navim, ut dextris & sinistris alis quodammodo librata, rectum quo dirigebatur cursum teneret. Illi vero, qui hunc locum, aliis explicant eruditissimis argumentis, nihil nobis succenseant; nos enim de adjutoris intelligimus, quibus uti nautæ consueverant, illi vero de iis, quæ fieri poterant intellexerunt. Haud latet nos, quassatas Naves, velis funibusque aliquando subcingi, sed ea quæ quassatæ Navi prosunt adjutoria, an periclitanti Navi, ne quassari possit, prosint, omnino dubitamus: constat etiam aliquando ad immorandum Navis cursum, funes, iisque alligata dolia a puppi demitti, sed an de iis, quæ nostris hisce temporibus fiunt, D. Lucas intellexerit, vaticinari nescimus. Adjutoria a nobis explicata veteris nautices documenta indigitant, illorum vero usum necessitatemque paucis evincemus. Navis qua vehebatur D. Paulus, erat inter Glaudam & Cretam, ideoque timebant ne in Sytim inciderent, a dextra enim habebant vadosa Littora Cretæ, quæ ad Criumeton vadosa sunt a sinistra vero Claudam, Anticlaudam, & his proximam Syrtim sub Mari aliquantulum latentem, idcirco adjutoriis utebatur, ne hac vel illac Navis deflecteret, & recto cursu in transversum delaberetur.

Qui vero Syrtes Africanas huc advocant, inoportunam, atque incongruam rem prestant, illæ enim ab Insula Clauda centenis M. pass. distant & ventus contra Cretam, quo Navis ferebatur minime eam in Africam pellere potuisset. Disertissime Georgius noster immoratus est, in explicanda atque elucidanda *Syrti*, nos tamen litem hanc uno verbo dirimimus, nam & vadosa Cretæ littora pro nobis stant, & Syrtis ipsa, quæ ad Claudam & Anticlaudam jacet, rem omnem prorsus conficit: hanc vero Syrtim & Nauticæ tabulæ exhibent & nos ipsi non procul ab ipsa, semel & iterum navigavimus.

Tabulæ Nauticæ, & Hydrographicæ consulendæ sunt omnibus iis, quibus animus est sententiam ferre in hac caussa; neque vero standum est vel fidendum tabulis, quæ tantum quatuor Mundi plagas, videlicet quatuor ventos exhibent, sed nautico pinace ventorum, & diligenti circino sedulo expendenda est, & emetienda marium terrarumque positio, ut nostra quæ attulimus argumenta, vel intelligi, vel si error aliquis irrepsit, refelli possint. Nos acuratissima directione Paulinam Navim, inter Cretam, & Claudam statuimus; Clauda vero cum Anticlauda, & Syrti latente, occidentales sunt respectu Cretæ totius, velint nolint doctissimi Philomaltenses; respectu vero Promontorii Criumetopon, australes vocantur: nobis enim ipsis ex visu constat, a primo occidentali Cretæ Promontorio, in orientem vergentibus, vix decem mill. pass. transmissis, Claudam occidentali a tergo relictam.

Sequitur D. Lucas.

Vers. 18. *Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt.*

Vers. 19. *Et tertia die suis manibus armamenta pojecerunt.*

Navis licet vento cessisset, tamen exagitata fluctibus & ab uno in alterum latus jactata, quidquid ponderis vel impedimenti, in superiore

 ejus

ejus parte supererat, nautæ projecerunt, ut alleviata, fluctibus minus obrueretur; nam & submisso vase, nempe *deductis vel demissis velis* ferebantur, & transvecti ultra Criumetopon, experientia docet ventum ab Euro ad Austrum deflectere. Quod vero Eurus ad Austrum deflexerit, sic evincimus. 1. Superato Criumetopon, & patente Ægeo, ventus qui ipsa Cretensi ora continebatur, aperto æquore in rectum se proferre solet 2. omnis Typhonicus ventus, sedato primi furoris impetu, eo redit, unde exorsus est, & qui ab Austro gradatim ad Eurum ascendit, ab Euro ad austrum per eosdem gradus retroagitur.

Ut tamen Philomaltenses ipsos pudeat, tot tantarumque cavillationum, habeant ventum illum quem amant *Greco-Levante*. Ab hoc vento correptam Navim recta in Africam ducant. Meminerint proinde tertia die armamenta Navis fuisse projecta: brevi supputatione horas duorum tantum dierum in unum colligant: navim (ut deceat, molliter, & parce cum illis agamus (tria mill: pass: singulis horis emensam statuant: proinde (sic Divus Paulus eos adjuvet) doceant nos, ubinam tertia die Navis fuerit; quomodo cum juxta Claudam esset, Syrtim Africanam timebat, cum vero in Majorem Syrtim impegisset, ut impingere debebat Syrtes nullibi memorantur? Quomodo igitur evasit? quomodo post quartadecimam diem ad Melitam Africanam pervenit? quomodo tandem, quod peculiari observatione dignum censemus, ipsam Melitam Africanam non agnoverunt nautæ, cum sese scirent in eo Adria esse, quem Philomaltenses fingunt, & in quo nullæ aliæ Insulæ, præter Melitam, & Siciliam occurrunt?

Sed sequamur D. Historiographum.

Vers. 20. *Neque autem Sole, neque Syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ.*

En Paulinæ Navis iter facili, obvia, & nautica methodo explicatum, nos enim illam recta ducimus, at adversarii per flexus, & deflexus, nunc in Africum nunc in Aquilonem choreas agentem, necesse est ut vaticinentur, & ex falso suppositis hypotesibus falsas consequentias elicient:

Hactenus nos, absque fictitiis commentis, nuda literali explicatione usi sumus; explicationem vero nostram, evidentiæ argumentis fulciri quis inficiabitur? Philomaltenses sacris Historiographi verbis inhaerentes ...utur Navim haud potuisse conari in ventum (*andar di borrina, o ...ggiare*) prima die, cum procellosus adhuc non sæviret; excre... vero vento, æstuantibus undis, jactu facto, armamentis projectis, ...lac ducunt! At si Navis per flexus deflexusque in ventum conari ...sset, quidnam caussæ fuit, quin prora directa inter occasum æqui...alem, & æstivum, Catanam vel fretum Messanæ non obtinuert? Si... vero ventus ille fuit Aquilonaris, quomodo obscurum cœlum ut neque Sol, neque Sydera apparerent, cum Aquilonarem ventum *αἰθρηγενέτην* appellatum sciamus, quod sit serenans; licet enim, in ipso venti exordio densa quodammodo caligine Cœlum comprimi videamus, vix tamen unius diei spatio transmisso, ea venti vis est, ut in hoc nostro Mediteraneo Mari, serenum Cœlum efficiat. Hæc est Septentrionalium ventorum stabilis quædam natura, illi enim e terra flantes nullos aquarum.

rum vapores secum devehentes, sicco spiramine nebulas omnes expellunt: contra vero Australis ventus, ut *Sirocco* est, per latum Mare sese extendens, ipse madidus, aquarum vapore excrescens, nubes affert quibus cœlum late comprimit, & obtenebrat.

Sequitur D. Lucas.

Vers. 27. *Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria (Græca habet διαφερομένων ἡμῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ) circa mediam noctem suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem.*

Sciebant itaque se esse in Adria, sed ut Philomaltenses, somniant, cum Adria ex ipsorum mente sit usque ad Afromelitam prolatus, qua ratione Divum Lucam, vel nautas latere poterat nomen illius Insulę? In illo Philomaltensium Adria nullæ Insulæ occurrunt, præter Siciliam & Melitam Africanam, utraque illis temporibus celeberrima, utraque in via quæ ducit ab oriente in occidentem, utraque stationibus patens, utraque notissima. In illo Adria erant, quem nova creatione Philomaltenses Cretam usque perducunt, Jonio & Siculo pelago permiscent; ad obviam, occasum petentibus, stationem accedebant: inter Siciliæ notissimum Promontorium, & Afromelitam jactabantur, ignorantes tamen quonam terrarum essent?

Periclitabantur ammissa omni spe salutis; cum tamen ad obviam stationem accederent? Jactabantur in ultimis Adriæ finibus, ut ajunt, & sese vel noctu in Adria esse sciebant, cum nescirent tamen, quo vel qua pervenissent, cum neque Siciliam, quæ vel cœcutientibus patet, neque Afro-Melitam quæ in illo Mari est, vel viderent, vel visas agnoscerent? Eurus Aquilo flabat, qui serenans vocatur, at nec Cœlum, nec stellas videbant?

Quid Philomaltenses tot tantisque cavillationibus nos urgent, tantaque eruditionis copia nos obruunt, quum nuda, & simplici, at sana ratione, res enucleari possit? Si Paulina Navis secundis velis navigasset poteratne vitare vel fretum Messanæ, vel tractum illum Maris quod inter Siciliam, & Afromelitam est? Si vero fuisset in via, vel inter Siciliam & Afromelitam, vel in fretu Messanæ, quonam fato accidit ut cum in via esset, cum Afro Melitam tutissimam stationem petere posset, cum sese in Adria illo esse sciret, in quo Afromelita, & Sicilia, jacerent, Divus Lucas scripserit, nautas neque noctu, neque die facto terram cognovisse? Docet Sacer Historiographus vers. 39. *Cum autem dies factus esset terram non agnoscebant, & cap. 28. vers. 1. Et cum evasissemus tunc cognovimus quia Melita Insula vocabatur.*

Quam quidem Nautarum atque ipsius Divi Lucæ ignorantiam, Philomaltenses nullo modo excusare possunt. Concesso enim illo fictitio ipsorum Adria, ipsi concedant necesse est, ab oriente venientibus eleuntibusque se in Adria esse, nullas occurrere Insulas, si Afro-Melitam, & Siciliam excipiant.

Nusquam itaque nautæ, vel Divus Lucas ignorare poterant, quonam terrarum essent, cum sese in illo Adria jactari scirent, in quo Melita Africana & Sicilia, solæ occurrunt.

Ne tamen D. Lucam ignorasse ea, quę scire debebat affirmemus, Paulinam Navim in hodierno Sinu Veneto, sive Adria, naufragium pas-

sam

ſam eſſe, Paulumque Apoſtolum in Illyricam Melitam noſtram evaſiſſe, fidenter tenendum eſt.

Enimvero ſi Adriam in noſtro Adria qui ſolus eſt querimus, nautarum, & ipſius D. Lucæ ignorantiam intelligemus: Cum enim in Adria tot Inſulæ ſint permixtæ, continuæ, invicem adhærentes, ſcire haud poterant, quamnam potiſſimum viderent, cum una ex centenis eſſe poſſet, quas videre poterant. Illyrica Melita eſt extra viam Paulini itineris, unde tempeſtas & naufragium probantur: inter plurimas Adriatici Maris inſulas eſt, unde nominis ignorantia explicatur.

Ex recta itaque ratiocinatione meridiana luce clarius eſſe contendimus, Paulum Naufragum exceptum fuiſse, a noſtra Melita Illyrica quæ in Adria eſt, qui non hypoteticis fabulis ſed omnium Sæculorum memoria, omnium ſanæ mentis Scriptorum, conſenſu, intra Japygias Ceraunaſque fauces clauſus fuit, & nunc quoque clauditur, efficitque hodiernum Sinum Venetum *Dominio Veneto deſponſatum*.

Poſt vanas ridendaſque fabulas, quas de Adria confingunt Philomaltenſes, cum in prima veteris Geographiæ elementa ſe peccare ſentiant, ad miracula confugint, ut ſacro quodammodo. & venerabili velamine, commenta cavillationeſque de D. Paulo naufrago, obtegant & tueantur.

Docuit nos Sacer Hiſtoriographus, qui res geſtas Scripſit, neque commentis explanandas, docuit inquam, Paulinam Navim naufragium paſſam eſse in Adria, Paulumque Apoſtolum in Inſulam quamdam, quę Melita vocabatur, evaſiſse. Ut itaque Adriæ, & Melitæ poſitionem inveniamus, conſulendi ſunt veteres Geographi, inter quos illorum Dictator Strabo. Poſt Geographorum conſulta, rerum evidentia continua temporum ſucceſſione eſt quærenda. Nos itaque veterum Geographorum auctoritate Adriam Melitamque ſemper domi habuimus, & ſtabili rerum, & temporum ſerie nunc quoque habemus; poſthac vero Philomaltenſes decertare nobiſcum audebunt, cum neque veteres Geographos habeant, qui ab ipſis ſtent, neque ſerie temporum oſtendere, poſſint, quandonam ad illos Adria acceſſerit, vel quando receſserit? Hypotheſes, commenta, fabulæ, adverſus Scriptorum, & Geographorum auctoritatem, adverſus evidentiam ipſam, aliquid audebunt?

Docet Sacer Hiſtoriographus Serpentem D. Pauli digitum mordentem, ab eo in ignem excuſsum, igne conflagraſse. Nos in noſtra Melita Illyrica vel noſtris hiſce temporibus, ſerpentes veneficos habemus, cum in Melita Africana nulli ſint: unde evidentia ipſa pro nobis ſtat, docetque Apoſtolum in hac noſtra Inſula fuiſse, quæ ſerpentibus abundat, haud vero in illa Africana, in qua nulli ſunt.

Contra evidentiam miraculum afferunt Philomaltenſes, ajuntque, Paulum Apoſtolum, ſerpentes in Afro-Melita veneno expoliaſſe. At quibus argumentis hæc probant? *pia credulitate*. Divus Lucas accuratiſſimus Scriptor, ne verbum quidem nobis reliquit, quo inſigne miraculum, tantummodo conijci poſſit.

Gloſſopetras, alioſque naturę quodammodo ludentis afferunt abortus, terram alexipharmacam jactant, & miracula fingunt in iis, in quibus imperitæ multitudinis admiratio, vix locum obtinet. Neceſſe tamen eſt, ut vel Miraculum Catholice probent quod numquam efficient, vel

in

in nostram Melitam Illyricam Paulum Apostolum, evasisse fateantur, in qua serpentes veneficos habemus.

Post discessum D. Pauli ex Insula Melita in quam evaserat, Navim qua vehebatur, *Syracusas* devenisse legimus, hinc Philomaltenses evincere conantur a consequentibus, Apostolum e Melita Africana discessisse; at si discessit, ergo & pervenit.

Argumenta, a consequenti, tunc aliquid ponderis aquirunt, cum antecedentia vel dubia, vel obscura sunt, at quæstio de Adria dubiane dici potest, quæ veterum Geographorum auctoritate fulcitur? quæstio de Serpentibus, obscurane dici potest, quæ ab evidentia præsenti comprobatur?

Argumenta a consequenti, ut aliquod pondus habeant, haud dumtaxat necesse est, ut antecedentia sint vel obscura, vel dubia, sed ipsum consequens adeo clarum, adeoque apertum esse debet, ut necessario ad antecedens referatur.

Quod clarum, quod apertum est in consequenti (nempe in Syracusis) id est, ex quo Navim qua D. Paulus vehebatur, Syracusas pervenisse colligimus, at unde nam discesserit, nullibi evincere possumus. Caussæ exquirendæ sunt, quibus navis adducta solet aliquando portum arripere. Tres potissimum esse dicimus: Negotium aliquod expediendum, Comeatum apparandum, ventum denique contrarium. Eligant sibi Philomaltenses unam ex his, quam Navi e Melita Africana potius quam ex Illyrica discedenti tribuant. At qui facient? si idem de utraque intelligi potest. Urgent tamen, ajuntque, Syracusas Melitæ Africanæ esse proximas. Esto: si Divus Lucas a Melita a qua discessit, usque ad Syracusas tantum temporis impendisse scripsit quantum a Melita Illyrica haud impendi potest, caussæ cedimus, at si Sacer Historiographus nulla temporis habita ratione, discessum tantumodo & adventum indigitat, quonam jure Philomaltenses, ex indeterminata re, determinatam elicere possunt? Dicent fortassis, D. Lucam post discessum a Melita Illyrica, nullas terras nominasse, cum multas nominare potuisset? Ad hæc nos reponimus, D. Lucas post Syracusas Rhegium devenit, sed neque Catanam neque Tauromunium, neque Messanam nominavit, cum nominare potuisset. Totius quæstionis centrum est Adria, in illo toti sint Philomaltenses, & ex ipso Ptolemæo si Melitam Africanam in Adria aliquando fuisse evincent, habeant Paulum Apostolum naufragum, habeant miracula serpentum, habeant, canantque victoriam, & nobis impune insultent.

De Publii Episcopatu multa Philomaltenses disserunt, at in historico textu elucidando, somnia quædam, piasque conjecturas prorsus reiicimus. De Traditionibus vero, quas a Patre in Filium ad hæc nostra tempora devenisse asserunt quid sentiendum sit, docent nos domesticæ ejusdem generis, quas habemus traditiones, docet nos ipsius Porphirogeniti testimonium, quo asserit D. Paulum Apostolum a Melita nostra, post naufragium fuisse exceptum.

Monumenta quæ Philomaltenses jactant in Afro-Melita, Montem scilicet, specum, & his similia, vetustæ credulitatis signa, potius quam veritatis argumenta esse dicimus. Aliud enim est credere Paulum in

(Afro-

Afromelitam evasisse; & ejusmodi credulitatem fulcire monumentis, aliud vero Paulum in Afromelitam evasum, validis argumentis demonstrare. Illyrici nostri Melitenses, quorum Deus intuetur Cor, nulla pię crudelitatis jactant, vel fingunt monumenta, Acta vero Apostolorum quæ Catholica fide, haud vero pia credulitate fulciuntur, quævę Divum Paulum Apostolum, in *Melitam Adriaticam* evasisse docent, veritatis argumento, & sacra quodammodo evidentia, pro nostra Melita stant, efficiuntque monumenta ea, quæ neque Nobilitate nominis, neque potentia armorum, neque cavillationibus sophismatum, neque fallacia hypothesum deleri possunt.

Quanam vero ratione factum sit, aliquis mirabitur, ut ad hæc nostra tempora, nondum satis constet quænam illa Melita fuerit, quę D. Paulum excepit. Is profecto qui Melitæ nostræ obscuritatem cum nobilitate Melitæ Africanæ contulerit, qui Scriptorum testimonia Africanæ Melitę faventia, nobilitati potius, quam veritati tribuerit, qui vel negligentiam, vel fortassis ignorantiam Scriptorum dijudicaverit, qui præjudicia vulgi & Melitæ Africanæ celebritatem noverit, qui in Melitæ nomine, haud vero in Adria Philomaltenses desudasse scierit, haud mirabitur, Melitam nostram Illyricam, obscuram, & Scriptoribus ignotam, vel neglectam, vel contemptam fuisse, & exinde factum, ut speciosa fastigia potius quam veritatis fundamenta spectarentur.

F I N I S.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Gio: Paolo Zapparella* Inquisitor General del Santo Uffizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Exercitationes Geograficæ ec. de Naufragio D. Pauli Apostoli, ejusque adventu in Insulam Melitam Illyricam, sive Mare Adriaticum Auctore Stefano Sciugliaga MS.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi e buoni costumi, concediamo Licenza a *Francesco Pitteri* Stampator *di Venezia* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Maggio 1757.

(*Zuanne Querini Proc. Rif.*
(*Barbon Morosini Proc. Rif.*
(

Registrato in Libro a Carte 8. al Num. 59.
Giacomo Zuccato Sgr.

Adi 20. Maggio 1757.
Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degli Esecutori contro la Bestemmia.
Francesco Bianchi Segr.

